VINCENTII LIRINENSIS GALLI, PRO CATHOLICAE FIDEI

Veritate & antiquitate, aduersus prophanas omnium hæreseon nouationes Libellus, iam primum editus.





Venetijs ad signum Spei.
M D LII.

VINCENTII VITA EX catalogo Gennadij.

Vincentius natione Gallus, apud monasterium in Lirinensi insula presbyter: uir in scripturis sanctis doctus, & notitia ecclesiasticorum dogmatum sufficienter instructus, composuit ad euertenda hæreticorum collegia nitido & aperto sermone ualidissimam disputationem, quam absconso nomine suo, attitulauit, Peregrini aduersum hæreticos: cuius operis quia secundi libri maximam in schedulis partem, a quibusdam furatam perdidit, recapitulato eius paucis sermonibus sensu primo compegit, & in unum librum edidit. Moritur Theodosio & Valentiniano *regnantibus.*

VINCENTII LIRINENSIS GALLI PRO

Catholicæ fidei Antiquitate & Vniuersitate, aduersus Profanas omnium hæreseon Nouationes, Libellus.



Icente scriptura & monente: interroga patres tuos, & dicent tibi, seniores tuos, & adnunciabunt tibi. Et iterum: Verbis sapientium adcommoda tuam aurem. Et iterum: Fili mi hos sermones ne obliuiscaris, mea autem uerba, custodiat cor tuum uidetur mihi minimo omnium seruorũ Dei Peregrino quod res non minimæ utilitatis Domino adiuuante futura sit, si ea quę fideliter a sanctis Patribus accepi literis comprehendam, infirmitati certe propriæ pernecessaria. Quippe quum ad sit in prõptu unde imbecillitas memoriæ meæ assidua lectione reparetur. Ad quod me negocium non solum fructus operis, sed etiam consideratio temporis, & opportunitas loci adhortatur: Et tempus propterea, quod quum ab eo omnia humana rapiantur, & nos ex eo aliquid in inuicẽ rapere debemus, quod in uitam proficiat æternam, pręsertim quum & appropinquantis diuini iudicij terribilis quędam expectatio augeri efflagitet studia religionis, & nouorum Hæreticorum fraudulentia multum curæ & attentionis indigeat.

Deu.

Peregrin⁹

Locus autem quod urbium frequentia turbasq; uitantes, remotioris uillulæ, & in ea secretum monasterij incolamus habitaculum, ubi absq; magna distructione fieri possit illud quod canitur in Psalmo: Vacate, inquit, & uidete, quoniã ego sum deus. Sed & propositi nostri ratio in id conuenit, quippe

Vincẽtius Monachus fuit.

qui quum aliquandiu uarijs ac tristibus secularis mi litiæ turbinibus uolueremur, tandem nos in portum religionis cunctis semper fidissimum. Christo adspirante cõdidimus, ut ibi depositis uanitatis ac superbiæ flatibus, Christianæ humilitatis sacrificio placantes Deum, non solum præsentis uitæ naufragia, sed etiam futuri seculi incendia uitare possimus. Sed iam in nomine Domini quod instat adgrediar, ut.s. a maioribus tradita, & apud nos depositam describam, relatoris fide potius, quàm autoris præsumptione, hac tamẽ scribẽdi lege seruata, ut nequaquã omnia, sed tantum necessaria quęq; perstringã: neq; id ornato & exacto, sed facili communiq; sermone, ut pleraq; significata potius, quã explicata uideantur. Scribant hi laute & accurate, qui ad hoc mun⁹ uel ingenij fiducia, uel officij ratione ducuntur, me uero subleuandæ recordationis, uel potius obliuionis meæ gratia Commonitorium mihimet parasse sufficerit, quod tamen paulatim recolendo quæ didici emendare, & implere quotidie Domino præstãte conabor. Atqui hoc ipsum idcirco præmonui, ut si forte elapsum nobis in manus sanctorum deuenerit, nihil in eo temere reprehendat, quod adhuc uideant promissa emendatione limãdum. Sæpe igitur magno studio & summa attentione perquirens, à quam plurimis sanctitate & doctrina præstantibus uiris, quo nam modo possim certa quadã, & quasi generali ac regulari uia catholicæ fidei ueritatem ab hæreticæ prauitatis falsitate discernere, huiusmodi semper responsum ab omnibus fere retuli, quod siue ego, siue quis uellet exurgentium hæreticorum fraudes deprehendere, laqueosq; uitare, & in fide sana sanus atque integer permanere, duplici modo munire fidem suam domino adiuuante deberet: Primó,

mo scilicet diuinæ legis authoritate, tum deinde Ecclesiæ catholicæ traditione. *Eccl. autoritas quare magnifacienda.*

Hic forsitan requirat aliquis: Quum sit perfectus scripturarum canon, sibique ad omnia satis superque sufficiat, quid opus est ut ei ecclesiasticæ intelligentiæ iungatur authoritas? Quia uidelicet scripturam sacram pro ipsa sui altitudine non uno eodemque sensu uniuersi accipiũt, sed eiusdem eloquia aliter atque aliter alius atque alius interpretatur, ut pene quot homines sunt, tot illinc sententiæ erui posse uideantur. Aliter namque illam Nouatianus, aliter Sabellius, aliter Donatus exponit, aliter Arius, Eunomius, Macedonus, aliter Photinus, Apollinaris, Priscillianus, aliter Iouinianus, Pelagius, Celestius, aliter postremo Nestorius. Atqui idcirco multum necesse est propter tantos tam uarij erroris anfractus, ut propheticæ & apostolicæ interpretationis linea, secundum ecclesiastici & catholici sensus normam dirigatur.

In ipsa item catholica ecclesia magnopere curandum est, ut id teneamus, quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est: hoc est enim uere proprieque catholicum quod ipsa uis nominis, ratioque declarat, quæ omnia uere uniuersaliter comprehendit. Sed hoc ita demum fit, si sequamur uniuersitatem, antiquitatem, consensionem. Sequemur autem uniuersitatem hoc modo: Si hanc unã fidem ueram esse fateamur quam tota per orbem terrarum confitetur ecclesia: Antiquitatem uero ita, si ab his sensibus nullatenus recedamus, quos sanctos maiores ac patres nostros celebrasse manifestum est: Consensionem quoque itidem, si in ipsa uetustate omnium, uel certe pene omnium sacerdodum pariter & magistrorum definitiones, sententiasque sectemur. Quid igitur faciet Christianus ca- *Catholica fides constat Vniuersitate, Antiquitate, Cõsensiõe.*

tholicus si se aliqua ecclesię particula, ab uniuersalis fidei communione præciderit? Quid itaque, nisi ut pestifero corruptoq; membro sanitatē uniuersi corporis anteponat? Quid si nouella aliqua contagio non iam portiunculam tantum sed totam pariter ecclesiam commaculare conetur? Tunc item prouidebit, ut antiquitati inhæreat, quę prorsus iam nō potest ab ulla nouitatis fraude seduci. Quid si in ipsa uetustate duorum aut trium hominum, uel certe ciuitatis unius, aut etiam prouinciæ alicuius error deprehendatur? Tunc omnino curabit, ut paucorum temeritati uel inscitiæ, siqua sunt uniuersaliter antiquitus uniuersalis concilij decreta præponat. Quid si tale aliquid emergat, ubi nihil eiusmodi reperiatur? Tunc operam dabit, ut collatas inter se maiorum consulat interrogetq; sententias, eorum duntaxat, qui diuersis licet temporibus & locis in unius tamē ecclesię catholicę communione, & fide permanentes, magistri probabiles extiterunt, & quicquid nō unus aut duo tantum, sed omnes pariter uno eodemq; consensu aperte, frequenter, perseueranter, tenuisse, scripsisse, docuisse cognouerit, id sibi quoq; intelligat absque ulla dubitatione credendum. Sed ut planiora fiant quę dicimus, exemplis singulatim illustranda sunt, & paulo uberius exaggeranda, ne immodicæ breuitatis studio rapiantur rerum pondera orationis celeritate.

Donatistæ

Tempore Donati, a quo Donatistę, quum sese multa pars Africę in erroris sui furias præcipitaret, quumq; immemor nominis, religiōis, professionis, unius hominis sacrilegam temeritatē Ecclesię Christi prępóneret, tunc quicunq; per Africam constituti, profano schismate detestato, uniuersis mundi ecclesiis adsociati sunt, soli ex illis omnibus intra sa-

ciaria catholicę fidei salui esse potuerunt: egregiam profecto relinquentes posteris formam, quemadmodum.f. & deinceps bono more unius, aut certe paucorum uesanię uniuersorũ sanitas anteferretur.

Item quando Arianorum uenenum, non iam portiunculam quandam, sed pene orbem totum contaminauerat, adeo ut prope cunctis Latini sermonis Episcopis, partim ui, partim fraude deceptis, caligo quędam mentibus offunderetur, quid nam potissimum in tanta rerum confusione sequendum foret, tunc quisquis uerus Christi amator & cultor extitit, antiqua fidem nouellæ perfidię pręferendo, nulla contagij ipsius peste maculatus est. Cuius quidem temporis periculo satis superque monstratum est, quantum inuehatur calamitatis nouelli dogmatis inductione. Tunc siquidem non solum paruę res, sed etiam maximę labefactatę sunt. Nec enim tãtũ adfinitates, cognatiões, amicitiæ, dom⁹, uerũ etiã urbes, populi, ꝓuincię, nationes, uniuersum postremo Romanũ Imperiũ funditus concussum & emotum est. *Ariani.*

Nanq; quum profana ipsa Arianorum nouitas, uelut quędam Bellona aut Furia, capto prius omnium Imperatore, cũcta deinde palatij culmina legib. nouis subiũgasset, nequaquã deĩceps destitit uniuersa miscere atq; uexare, priuata ac publica, sacra, ꝓfanaq; omnia, nullum boni & ueri gerere discrimen, sed quoscũq; collibuisset tanq; de loco suꝑiore ꝑcutere. Tũc temeratę cõiuges, depopulatę uiduę, ꝓfanatę uirgines, dilacerata monasteria, disturbati clerici, uerberati Leuitæ, acti in exiliũ Sacerdotes, oppleta sc̃tis ergastula, carceres, metalla: Quorũ pars maxima interdictis urbib⁹ protrusi atq; extorres, inter deserta, spelũcas, feras, saxa, nuditate, fame, siti affecti, cõtriti & tabefacti sunt. Atq; hæc omnia nunq̃d *Ariana nouitas uelut furia quędã armauit totum orbẽ.*

ullam aliam ob causam, nisi utique, dum pro cœlesti dogmate humanæ superstitiones introducuntur? Dum bene fundata antiquitas scelesta nouitate subruitur, dum superiorum instituta uiolantur, dum rescinduntur scita patrum, dum conuelluntur definita maiorum, dum sese intra sacratæ atque incorruptæ uetustatis castissimos limites profanæ ac nouellæ curiositatis libido non continet. Sed forsan odio nouitatis, & amore uetustatis hæc fingimus. Quisquis hoc æstimat, beato saltem credat Ambrosio, qui in secundo ad Imperatorem Gratianum libro, acerbitatem temporis ipse deplorans ait: Sed iam satis, inquit, omnipotens Deus nostro exitio, nostroq; sanguine, Confessorum neces, exitia Sacerdotum, & nefas tantæ impietatis eluimus. Satis claruit, eos qui uiolauerint fidem, tutos esse non posse. Item in tertio eiusdem operis libro: Seruemus igitur, inquit, pręcepta maiorum, nec hereditaria signacula ausi rudis temeritate uiolemus. Librum signatum illum propheticum non seniores, non potestates, non angeli, non archangeli aperire ausi sunt, soli Christo explanandi eius pręrogatiua seruata est. Librum sacerdotalem quis nostrum designare audeat, signatum a Confessoribus, & multorum iam martyrio consecratum? Quem qui resignare coacti sunt, postea tamen damnata fraude signarunt, qui uiolare non ausi sunt. Confessores, & martyres extiterunt, quomodo fidem eorum possumus denegare, quorum uictoriam predicamus? Prædicamus plane, inquam, o uenerande Ambrosi, laudantesq; miramur: nam quis ille tam demens est, qui eos, & si adsequi non ualeat, non exoptet sequi quos a defensiōe maiorū fidei nulla uis depulit? nō minæ, nō blādimenta, nō uita, nō mors, nō palatiū,

non

non satellites,non Imperator,non imperium,nō homines,non dęmones. Quos,inquam, pro religiosæ uetustatis tenacitate tāto munere dominus dignos iudicauit,ut per eos prostratas restauraret ecclesias, extinctos spiritales populos uiuificaret, deiectas sacerdotum coronas reponeret, nefarias illas nouellę impietatis non literas, sed lituras,infuso cœlitus episcopis fidelium lachrymarum fonte deleret. Vniuersum postremò iam penè mundum, sæua repentinæ hæreseos tempestate perculsum, ad antiquā fidem, à nouella perfidia ad antiquam sanitatem, à nouitatis uesania,ad antiquam lucem,à nouitatis cæcitate reuocaret. Sed in hac diuina quadam cōfessionum uirtute,illud est etiam nobis uel maximè cōsiderandum, quod tunc apud ipsam ecclesiæ uetustatem, non partis alicuius,sed uniuersitatis ab ijs est suscepta defensio: Neq; enim fas erat,ut tanti ac tales uiri unius aut duorum hominū errabundas, sibiq; ipsis cōtrarias suspitiones tam magno molimine adsererent,aut uerò pro alicuius prouincialę temeraria quadam conspiratione certarent, sed omnium sanctæ ecclesiæ sacerdotum, apostolicæ & catholicæ ueritatis,decreta & definita sectantes, maluerunt se metipsos,quàm uetustæ uniuersitatis fidem prodere. Vnde & ad tantā gloriam peruenire meruerunt, ut non solum confessores,uerumetiam confessorum principes iure meritoq; habeantur. Magnum hoc igitur eorundem beatorum exemplum. planeq; diuinum, & ueris quibusq; catholicis indefessa meditatione recolendū, qui in modum septemplicis candelabri, septena sancti spiritus luce radiantis, clarissimam posteris formulam præmonstrarunt, quonam modo deinceps per singula quæq; errorū uaniloquia,sacratæ uetustatis autoritate profanæ nouitatis

uitatis

uitatis conteratur audacia. Neq; hoc sane nouum, siquidem mos iste semper in ecclesia uiguit, ut quo quisq; floreret religiosior, eo promptius nouellis adinuentionibus contrairet. Exemplis talibus plena sunt omnia. Sed ne longum fiat, unum aliquod, & hoc ab apostolica potissimum sede sumemus, ut omnes luce clarius uideant, beatorum apostolorum beata successio quanta ui semper, quanto studio, quanta contentione defenderit susceptæ semel religionis integritatem.

Agripinus iterati baptismi author. Quondam igitur uenerabilis memoriæ Agripinus Carthaginensis episcopus, primus omnium mortalium contra diuum canonem, contra uniuersalis ecclesiæ regulam, contra sensum omnium consacerdotum, cōtra morem atq; instituta maiorum rebaptizandum esse censebat. Quę præsumptio tātum mali inuexit, ut non solum hæreticis omnibus formam sacrilegij, sed quibusdam catholicis occasionem prębuerit erroris.

Cum ergo undiq; ad nouitatem rei cuncti reclamarent, atq; omnes quaquauersum sacerdotes pro suo quisq; studio reniterentur, tunc beatę memoriæ papa Stephanus, apostolicæ sedis Antistes, cum cęteris quidem collegis suis, sed tamē præ cæteris restitit, dignum ut opinor existimans, si reliquos omnes tantum fidei deuotione uinceret, quantum loci authoritate superabat. *Romanæ ecclesiæ authoritas.* Deniq; in epistola, quæ tunc ad Aphricam missa est, & his uerbis sanxit, nihil nouādum nisi quod traditum est. Intelligebat etenim uir sanctus & prudens, nihil aliud rationem pietatis admittere, nisi ut omnia, qua fide à patribus suscepta forent, eadem fide filijs consignarent, nosq; religionem nō qua uellemus ducere, sed potius qua illa duceret sequi oportere, idq; esse proprium chri- *Ducatum*

stianæ

ſtianæ modeſtiæ & grauitatis,non ſua poſteris tra dere,ſed amatoribus accepta ſeruare. *prebet nobis religio non nos religioni.*

Quis ergo tunc uniuerſi negotij exitus,quis utiq; niſi uſitatus & ſolitus? Retenta eſt,ſcilicet antiquitas,exploſa nouitas. Sed forte tunc ipſi nouitiæ adinuentioni patrocinia defuerunt.Imò uerò tanta uis ingenij adfuit,tanta eloquentiæ flumina,tantus adſertorum numerus,tanta uerìſimilitudo,tanta diuinæ legis oracula, ſed planè nouo ac malo more intellecta, ut mihi omnis illa conſpiratio nullo modo deſtrui potuiſſe uideatur, niſi ſola tanti moliminis cauſa illa ſuſcepta,ipſa defenſa, ipſa laudata nouitatis profeſsio deſtituiſſet.

Quid poſtremò ipſius Aphricani concilij ſiue decreti,quæ uires donante Deo,nulla ſed uniuerſa tãquam ſomnia,tanquam fabulę,tanquam ſuperflua, abolita, antiquata, calcata ſunt. Et ô rerum mira conuerſio, authores eiuſdem opinio. catholici conſectatores uerò hæretici iudicantur:Abſoluũtur magiſtri,condemnantur diſcipuli:conſcriptores librorum filij regni erunt, aſſertores uerò gehenna ſuſcipiet:Nam quis ille tam demẽs eſt,qui illud ſanctorum omnium & epiſcoporum,& martyrum lumen beatiſsimum Cyprianum cum cæteris collegis ſuis in æternum dubitet regnaturum eſſe cum Chriſto? Aut quis tã contrà ſacrilegus,q Donatiſtas & cæteras peſtes,quæ illius authoritate conſilij rebaptizare ſe iactitant, in ſempiternum neget arſuros eſſe cũ diabolo? Quod qdem mihi diuinitus uidetur promulgatum eſſe iudicium, propter eorum maximè fraudulentiam,qui cum ſub alieno nomine hæreſim concinnare machinentur, captant plerunq; ueteris cuiuſpiam uiri ſcripta, paulò inuolutius edita, quæ pro ipſa ſui obſcuritate dogmati ſuo quaſi cõgruãt, *Cyprianus* *Donatiſtæ rebaptizant.* *Hæreticorum uafricies.*

ut illud

ut illud nescio quid quodcunque proferunt, neque primi,neque soli sentire uideantur. Quorum ego nequitiam duplici odio dignam iudico, uel eò quòd hæreseos uenenum propinare alijs non ptimescunt, uel eò etiam quod sancti cuiusque uiri memoriam tanquam sopitos iam cineres profana manu uentilant, & quæ silentio sepeliri oportebat, rediuiua opinione diffamant: sequentes omnino uestigia authoris sui Cham,qui nuditatem uenerandi Noe, non modo operire neglexit,uerum quoq; irridendã cæteris enunciauit. Vnde tantam læsæ pietatis meruit offensam,ut etiam posteri ipsius peccati sui maledictis obligarentur, beatis illis fratribus, longeq; dissimilibus,qui nuditatem ipsam reuerendi patris neque suis temerare oculis,neque alienis patere uoluerunt. Sed auersi ut scribitur texerunt eum. Quod est,erratum sancti uiri nec adprobasse, nec prodidisse, atq; idcirco beata in posteros benedictione donati sunt. Sed ad propositum redeamus.

Filij Chã qui sint hodie.

Magno igitur metu nobis immutatæ fidei,ac temeratæ religionis piaculum pertimescendum est, à quo nos non solum constitutionis ecclesiasticæ disciplina,sed etiam censura apostolicæ deterret autoritatis. Scitum etenim cunctis est,quàm grauiter, quàm seuere, quàm uehementer inuehatur in quosdam beatus apostolus Paulus qui mira leuitate nimium cito translati fuerant ab eo, qui eos uocauerat in gratiam Christi, in aliud euangel. quod non est aliud, qui coaceruarãt sibi magistros ad sua desideria,à ueritate quidem auditum auertentes,conuersi uero ad fabulas,habẽtes damnationem. Quid primam fidem irritam fecissent? quos deceperant ij, de quibus ad Roma. fratres scribit idem Apostolus. Rogo autem uos fratres, ut obseruetis eos, qui

Roma. 16

dissen-

diſſenſiones et offendicula prçter doctrinam quam ipſi didiciſtis faciunt, & declinate ab illis: huiuſmo di enim Chriſto domino non ſeruiunt, ſed ſuo uentri, & per dulces ſermones & benedictiones ſeducunt corda innocentium. Qui intrant per domos, & captiuas ducunt mulierculas oneratas peccatis, I. Timo. 3.
quæ ducuntur uarijs deſiderijs, ſemper diſcentes, et ad ſcientiam ueritatis nunquam peruenientes, uaniloqui & ſeductores, qui uniuerſas domos ſubuer tunt, docentes quæ non oportet turpis lucri gratia, homines corrupti mente, reprobi circa fidem, ſuperbi, & nihil ſcientes, ſed languẽtes circa quæſtiones & pugnas uerborum, qui ueritate priuati ſunt, exiſtimantes quæſtum eſſe pietatem, ſimul autem & otioſi diſcunt circumire domos, non ſolum autẽ otioſi, ſed & uerboſi, & curioſi, loquentes quæ non oportet, qui bonam conſcientiam repellentes circa fidem naufragauerũt. Quorum profana uaniloquia multum proficiunt ad impietatem, & ſermo eorum ut cancer ſerpit. Bene autem quod de hijs item ſcri bitur: ſed ultra non proficiunt, inſipientia enim eorũ manifeſta erit omnibus, ſicut & illorum fuit. Cum ergo tales quidam circumeuntes prouincias & ciui tates, atque errores uenalicios circumferendo etiã ad Galatas deueniſſent: cumq́ his auditis Galatæ, nauſea quadam ueritatis adfecti, apoſtolicæ, catho licæq́ doctrinæ manna remouentes hæreticæ noui tatis ſordibus oblectarentur, ita ſeſe apoſtolicæ po teſtatis exercuit autoritas, ut ſumma cum ſeuerita te decerneret: Sed licet aut nos inquit, aut Angelus de cœlo euangelizet uobis præterquam quod euan gelizauimus uobis, anathema ſit. Quid eſt quod ait, ſed licet nos? Cur non potius, ſed licet ego? Hoc eſt, etiam ſi Petrus, etiam ſi Andreas, etiam ſi Ioan-

nes,

nes, etiam si postremo omnis Apostolorum chorus euangelizet uobis, præterquam quod euangelizauimus, anathema sit. Tremenda districtio propter adserendam primæ fidei tenacitatem, nec sibi nec cæteris Coapostolis pepercisse. Parum est etiamsi angelus inquit, de cœlo euangelizet uobis, præterquam quod euangelizauimus, anathema sit. Non suffecerat ad custodiam traditæ semel fidei humanę conditionis commemorasse naturam, nisi angelicã quoq; excellentiam comprehendisset: licet nos inquit, aut angelus de cœlo. Non quia sancti cœlestesq; angeli peccare iã posśint, sed hoc est quod dicit: si etiam, inquit, fiat quod non potest fieri, quisquis ille traditam semel fidem mutare tentauerit, anathema sit. Sed hæc forsitãn perfunctorie prælo- quutus est, & humano potius effudit impetu, quam diuina ratione decreuit. Absit. Sequitur enim & hoc ipsum ingenti molimine iteratæ insinuationis inculcat: Sicut prædiximus inquit, & nunc iterum dico: Si quis uobis euangelizauerit præterquam quod accepistis anathema sit. Non dixit: si quis uobis adnuntiauerit præterquam quod accepistis benedictus sit, laudetur, recipiatur, sed anathema sit inquit, id est separatus, segregatus, exclusus, ne unius ouis dirum cõtagium innoxium gregem Christi uenenata permistione contaminet. Sed forsitan Galatis tãtum ista præcepta sunt. Ergo & illa solis Galatis imperata sunt, quæ in eiusdem Epistolę sequentibus commemorantur, qualia sunt hæc: Si uiuimus spiritu, spiritu & ambulemus: Nõ efficiamur inanis gloriæ cupidi, inuicem prouocantes, inuicem inuidentes. Et reliqua. Quod si absurdum est, & omnibus ex æquo imperata sunt, restat ut sicut hæc morum mandata, ita etiam illa quæ de fide cauta sunt, omnes

Anathema aliquē fieri.

omnes pari modo cōprehēdāt: & ſicut nemini licet inuicē prouocare, aut inuidere inuicem, ita nemini liceat, prҫter id quod eccleſia catholica uſquequaq; euangelizat accipere. Aut forſitan tunc iubebatur, ſiquis adnuntiaſſet præterquam quod adnuntiatū fuerat anathemari, nunc uero iam nō iubetur. Ergo & illud quod item ibi ait: Dico autem ſpiritu ambulate, & deſiderium carnis non perficietis. Tunc tantum iubebatur modò uero iam non iubetur. Quod ſi impium pariter & pernitioſum eſt ita credere, neceſſariò ſequitur, ut ſicut hæc cunctis ætatibus obſeruanda ſunt, ita illa, quoque quæ de non mutanda fide ſancta ſunt cunctis ætatibus imperata ſint. Adnuntiare ergo aliquid Chriſtianis catholicis, prҫter id quod acceperunt, nunquam licuit, nuſquam licet. Num licebit & anathemare eos qui adnūcient aliquid præterquam quod ſemel acceptum eſt? nunquam non oportuit, nuſquam non oportet, nunquā non oportebit. Quæ cum ita ſint, eſt ne aliquis uel tantæ audaciæ, qui prҫter id quod apud eccleſiam adnuntiatum eſt, adnuntiet? Vel tātæ leuitatis, qui præter id quod ab eccleſia accepit, accipiat? Clamet, & repetendo clamet, & omnibus, & ſemper, & ubique per literas ſuas clamet ille, ille? Vas electionis, ille magiſter Gentium, ille Apoſtolorum tuba, ille terrarum præco, ille cœlorum conſcius, ut ſi quis nouum dogma adnuntiauerit, anathemetur. Et contra reclamant ranæ quҫdam, & cyniphes, & muſcæ morituræ, quales ſunt Pelagiani, & hoc catholicis. Nobis inquiunt, authoribus, nobis principibus, nobis expoſitoribus damnate quæ tenebatis, tenete quæ damnabatis, reijcite antiquā fidem, paterna inſtituta, maiorum depoſita, & recipite quænam illa tandem? Horreo dicere, ſunt enim tam

Quæd ĩ ñe quidẽ refelli ſine piaculo ſatis poſsunt.

ſuperba,ut mihi non modo adfirmari, ſed ne refelli quidem ſine aliquo piaculo poſſe uideantur. Sed dicet aliquis.

Cur ergo perſæpe diuinitus ſinuntur excellentes quædam perſonæ in Eccleſia conſtitutæ, res nouas catholicis adnuntiare? Recta interrogatio, & digna quæ diligentius atque uberius pertractetur, cui tamen non ingenio proprio, ſed diuinæ legis authoritate eccleſiaſtici Magiſtri documento ſatisfaciendũ eſt. Audiamus ergo ſanctum Moſen,& ipſe nos doceat cur docti uiri, & qui propter ſcientiæ gratiam, ab Apoſtolo etiam Prophetæ nuncupantur, proferre interdum permittantur, noua dogmata, quæ uetus teſtamentum allegorico ſermone deos alienos appellare conſueuit,eò quod ſcilicet ita ab hæreticis ipſorum opiniones, ſicut à gentilibus Dĳ ſui obſeruentur. Scribit ergo in Deuteronomio beatus Moſes: Si ſurrexerit, inquit, in medio tui Propheta,aut quis ſomnium uidiſſe ſe dicat: Id eſt, magiſter in eccleſia conſtitutus, quem diſcipuli uel auditores ſui ex aliqua reuelatione docere arbitrentur. Quid deinde? Et prædixerit,inquit,ſignum atque portentum, & euenerit quod loquutus eſt. Magnus profecto neſcio quis ſignificatur magiſter, & tantæ ſcientiæ, qui ſectatoribus proprĳs non ſolum quæ humana ſunt noſſe, uerũ etiam quæ ſupra hominem ſunt prænoſcere poſſe uideatur. Quales ferè diſcipuli ſui iactitant fuiſſe Valentinum, Donatum, Photinum, Apollinarem, cæteroſq; eiuſmodi. Quid poſtea? Et dixerit, inquit, tibi, eamus & ſequamur Deos alienos quos ignoras, & ſeruiamus eis. qui ſunt Dĳ alieni, niſi errores extranei quos ignorabas,id eſt, noui & inauditi? & ſeruiamus eis, id eſt, credamus eis, ſequamur

Dĳ alieni.

eos.

eos. Quid ad extremum? Non audies, inquit, uerba Prophetę illius, aut Somniatoris. Et quare, oro, te à Deo non prohibetur doceri, quod adeò prohibetur audiri? Quia, inqt, tentat uos dominus Deus uester, ut palàm fiat, utrum diligatis eum an non in toto corde, & in tota anima uestra.

Luce clarius aperta causa est, cur interdum diuina prouidētia quosdam ecclesiarum magistros, noua quædam dogmata prædicare patiatur, ut tētet uos dominus, inqt, deus uester. Et profecto magna tentatio est, cum ille quem tu Prophetam, quē prophetarum discipulum, quem doctorem & adsertorem ueritatis putes, quem summa ueneratione & amore complexus sis, is subito latēter noxios subinducat errores, quos nec cito deprehendere ualeas, dum antiqui magisterij duceris præiudicio, nec facile damnare ducis fas, dum magistri ueteris præpediris affectu. Hic forsitan efflagitet aliqs, ut ea quæ sancti Mosei uerbis adserta sunt, ecclesiasticis aliquibus demonstrentur exemplis. Aequa expostulatio, nec diu differenda: Nam ut à proximis, & manifestis incipiam, qualem fuisse nuper tentationem putamus, cum infelix ille Nestorius, subito ex oue conuersus in lupum, gregem Christi lacerare cœpisset? cum eum hi ipsi qui rodebantur ex magna adhuc parte ouem crederent, ideoq; morsibus eius magis paterent. Nam quis eum facile errare arbitraretur, quem tanto imperij iudicio electum, tanto sacerdotum studio prosecutum uideret? qui cū magno sanctorum amore, summo populi fauore celebraretur quotidie, palàm diuina tractabat eloquia, & noxios quoque Iudeorum & gentilium confutabat errores. Quo tandem isto modo non cuiuis fidē faceret se recta docere, recta pdicare, recta sentire? Qui

Hæreses quare christus exoriri patiatur

ut uni hæresi suæ aditum patefaceret, cunctarum hę reseon blasphemias insectabatur. Sed hoc erat illud quod Moses ait: Tentat uos dominus Deus uester, si diligatis eum an non. Et ut Nestorium prætereamus, in quo plus semper admirationis quàm utilitatis, plus famæ quàm experientiæ fuit: quem opinione uulgi aliquandiu magnum humana magis fecerat gratia quam diuina. Eos potius commemoremus, qui multis profectibus, multaq́ industria præditi, non paruæ tentationi catholicis hominibus extiterunt: uelut apud Pannonias maiorum memoria Photinus ecclesiam Sirmitanam tentasse memoratur, ubi cum magno omnium fauore in sacerdotium fuisset ascitus, & aliquandiu tanquam catholicus administraret, subito sicut malus ille Propheta, aut somniator, quem Moses significat, creditam sibi plebem Dei persuadere cœpit, ut sequeretur deos alienos, id est, errores extraneos, quos antea nesciebat. Sed hoc usitatum, illud uerò pernitiosum, quod ad tantum nefas non mediocribus adminiculis utebatur: nam erat & ingenij uiribus ualens, & doctrinæ opibus excellẽs, & eloquio præpotens: quippe qui utroque sermone copiose & grauiter disputaret, & scriberet, quod monumentis librorum suorum manifestatur, quos idem partim Græco, partim Latino sermone composuit. Sed bene, quod commissæ ipsi oues Christi multum pro catholica fide uigilantes & cautè cito ad præmonentis Mosi eloquia respexerunt, & Prophetæ atque pastoris sui licet admirarentur eloquentiam, tentationem tamen non ignorarunt: Nam quem antea quasi arietem gregis sequebantur, eundem deinceps uelut lupum fugere cœperunt. Neque solum Photini, sed etiam Apollinaris exemplo istius ecclesiasticæ tentationis periculum

Nestorius qualis.

Photinus Pãnonius.

Photinus Græcos et Latinos libros scriptos reliquit.

Apollinaris.

culum discimus,& simul ad obseruādæ diligentius fidei custodiam commonemur: Etenim ipse audito ribus suis magnos actus, & magnas generauit angustias,quippe cum eos huc ecclesię traheret autho ritas, huc magistri retraheret consuetudo, sic inter utraque mutabundi & fluctuantes quid potius sibi seligendum foret non expediunt. Sed forsitan eiusmodi ille uir erat, qui dignus esset facile contemni. Imò uero tantus ac talis, cui nimium cito in plurimis crederetur. Nam qd illo pstātius acumine, exercitatione, doctrinà? quam multas ille hæreses multis uoluminibus oppresserit,quot inimicos fidei cōfortauerit errores,inditio est opus illud. 30. non minus librorum nobilissimum & maximum, quo insanas Porphyrij calumnias magna probationum mole confudit. Longum est uniuersa ipsius opera com memorare, quibus profecto summis ędificatoribus ecclesiæ par esse potuisset,nisi profana illa hæreticæ curiositatis libidine nouum nescio quid adinuenisset, quo & cunctos labores suos uelut cuiusdam lepræ admistione fœdaret ut committeret & doctrina eius non tam ædificatio, quàm tentatio potius ecclesiastica diceretur. Hic à me forsitan deposcatur, ut horum quos supra cōmemoraui hæreses exponam, Nestorij, scilicet Apollinaris & Photini. Hoc quidem ad rem de qua nunc agimus non attinet: propositum etenim nobis non est singulorum errores persequi, sed paucorum exempla proferre, quibus euidenter ac perspicuæ demonstretur illud quod Moses ait. Quia, scilicet siquando ecclesiasticus aliquis magister, & ipse interpretandis prophetarum mysterijs propheta, noui quiddam in ecclesiam Dei tentet inducere, ad tentationem id nostrā fieri prouidentia diuina patiatur. Vtile igitur fuerit

Porphyrius.

in excursu, quid supra memorati hæretici sentiant, breuiter exponere, id est Photinus, Apollinaris, Nestorius. Photini ergo secta hæc est: Dicit Deum singulum esse & solitarium, & more Iudaico confitendum, trinitatis plenitudinē negat, neque ullam Dei uerbi, aut ullam spiritus sancti putat esse personam: Christum uero hominem tantummodo solitarium adserit, cui principium adscribit ex Maria, & hoc omnimodis dogmatizat, solam nos psonam Dei patris, & solum Christum hominem colere debere. Hæc ergo Photinus. Apollinaris uero, in unitate quidem trinitatis quasi consentire se iactitat, & hoc ipsum non plena fidei sanitate, sed in Domini incarnatione aperta professione blasphemat: Dicit enim in ipsa Saluatoris nostri carne, aut animam humanam penitus non fuisse, aut certe talem fuisse, cui mens & ratio non esset. Sed & ipsam Domini carnem, non de sanctæ uirginis Mariæ carne susceptā, sed de cœlo in uirginem descendisse dicebat, eamq; nutabundus semper & dubius, modo coæternam Deo uerbo, modo de uerbi diuinitate factam prædicabat: nolebat enim in Christo duas esse substantias: unam diuinam, alterā humanam, unam ex patre, alteram ex matre: sed ipsam uerbi naturam putabat esse discissam, quasi aliud eius permaneret in Deo, aliud uero uersum fuisset in carnem, ut cum ueritas dicat ex duabus substantijs unum esse Christum: ille contrarius ueritati, ex una Christi diuinitate duas adserat factas esse substantias. Hæc itaque Apollinaris. Nestorius autem contrario Apollinari morbo, dum sese duas in Christo substantias distinguere simulat, duas introducit repente personas, & inaudito scelere duos esse uult filios Dei, duos Christos: unū Deum, alterum hominē: unum

Photini secta.

Apollinaris scita.

Nestorij error.

qui

qui ex patre, alterum qui sit generatus ex matre. Atque ideo adserit sanctam Mariam nō θεότοκον, sed χριστότοκον esse dicendam: quia, scilicet ex ea non ille Christus qui Deus, sed ille qui erat homo natus sit. Quod si quis eum putat in literis suis unum Christum dicere, & unam Christi prædicare personam, non temere credat: aut enim istud fallendi arte machinatus est, ut per bona facilius suaderet & mala, sicut ait Apostolus. Per bonum mihi operatus est mortem. Aut ergo ut diximus, fraudulentiæ causa quibusdam in locis scriptorum suorum unum Christum, & unam Christi personam credere se iactitat: Aut certe post partum iam uirginis ita in unū Christum duas perhibet conuenisse personas, ut tamen conceptus, seu partus uirginei tempore, & aliquanto postea duos Christos fuisse contendat. Et cum, scilicet Christus homo communis primum & solitarius natus sit, & necdum Dei uerbi personæ unitate sociatus, postea in eum adsumentis uerbi persona descenderit: & licet nunc in Dei gloria maneat adsumptus aliquandiu, tamen nihil inter illum & cęteros homines interfuisse uideatur. Hæc ergo Nestorius, Apollinaris, Photinus aduersus catholicam fidem rabidi canes latrant: Photinus trinitatem nō confitendo: Apollinaris conuertibilem uerbi dicendo naturam, & duas in Christo substantias nō confitēdo, & aut totam Christi animam, aut certe mentem atque rationem in anima denegando, & adserendo pro sensu mētis fuisse Dei uerbum: Nestorius duos Christos, aut semper esse, aut aliquandiu fuisse asseuerando. Ecclesia uero catholica, & de Deo, & de Saluatore nostro recta sentiens, nec in trinitatis mysterio, nec in Christi incarnatione blasphemat: Nam & unam diuinitatem in trinitatis plenitu- *Duæ substantiæ in Christo.*

dine,& trinitatis ęqualitatem in una atque eadem maiestate ueneratur: & unum Christum Iesum, non duos, eundemq́ Deum pariter atque hominē confitetur: unam quidem in eo personam, sed duas substantias: duas subsistētias, sed unam credit esse personam: duas substantias, quia mutabile non est uerbum Dei, ut ipsum uerteretur in carnem: unam personam, ne duos profitendo filios quaternitatem uideatur colere, nō trinitatem. Sed operæpretium est, ut idipsum etiam atque etiam distinctius & expressius enucleemus: In Deo una substātia, sed tres personæ: In Christo duæ substantiæ, sed una persona In trinitate alius atque alius, non aliud atque aliud
Alius. In Saluatore aliud atque aliud, non alius atq; alius.
Aliud. Qūo in trinitate alius atq; alius, nō aliud atq; aliud? Quia.s. alia est psona pr̄is, alia filij, alia spūs sancti. Sed tn̄ patris & filij & spūs sancti non alia & alia, sed una eadēq́ natura. Qūo in Saluatore aliud atq; aliud, nō alius atq; alius? Qui uidelicet altera substā tia diuinitatis, altera humanitatis, sed tn̄ deitas & humanitas non alter et alter, sed unus idemq́ Xp̄s, unus idemq́ filius Dei, & unius eiusdemq́ Christi & filij dei una eademq́ persona. Sicut in hoīe aliud caro, & aliud aīa, sed unus idēq́ homo aīa et caro. In Petro uel Paulo aliud aīa, aliud caro, nec tn̄ duo Petri caro & anima, aut alter Paulus anima, & alter caro, sed unus idemq́ Petrus, unus, idemq́ Paulus, ex duplici diuersaq́ subsistens animi corporisq́ natura. Ita igitur in uno eodemq́ christo duæ substantię sunt, sed una diuina, altera humana: una ex patre Deo, altera ex matre uirgine: una coæterna & æqualis Patri, altera ex tempore & minor Patræ: una cō substātialis Patri: altera cōsubstantialis matri: unus tamen idemq́ Christus in utraq; substantia. Non

ergo

ergo alter Christus Deus, alter hō: non alter increatus, alter creatus: non alter impassibilis, alter passibilis: non alter æqualis Patri, alter minor Patre: non alter ex patre, alter ex matre, sed unus idemq́ Christus Deus & homo, idem non creatus & creatus, idem incommutabilis & impassibilis: idem commutatus & passus: idem Patri & æqualis & minor: idem ex Patre ante secula genitus: idem in seculo ex matre generatus: perfectus Deus, perfectus homo: in Deo summa diuinitas, in homine plena humanitas: Plena, inquam, humanitas, quippe quę animam simul habeat & carnem, sed carnem ueram nostrā, maternam: animam uerò intellectu præditam, mente ac ratione pollentem, Est ergo in Christo uerbū, anima, caro, sed hoc totum unus est Christus, unus filius Dei, & unus Saluator ac redemptor noster. Vnus autem non corruptibili nescio qua diuinitatis & humanitatis confusione, sed integra & singulari quadam unitate personę: Neq; enim illa coniunctio alterum in alterum conuertit atq; mutauit, qui est proprius Arianorum, sed ita in unū potius utrunque compegit, ut manente semper in Christo singularitate unius eiusdemq́ personę, in æternum quoq; permaneat proprietas uniuscuiusq; naturę: quò scilicet nec unquam Deus corpus esse incipiat, nec aliquando corpus esse desistat, quod etiam humanæ conditionis demonstratur exemplo. Neq; enim in præsenti tantum, sed in futuro quoq; unusquisq; hominū ex anima constabit et corpore, nec tamen unquam aut corpus in animam, aut anima uertetur in corpus, sed unoquoque hominum sine fine uicturo, in unoquoq; hominum sine fine necessariò utriusq; substantiæ differentia, permanebit. Ita in Christo quoque utriusq; substantiæ suæ cuique in æternum,

Plena xp̄i humanitas.

Ariani cōfundūt naturas.

proprietas, salua tamen psonę unitate retinenda est. Sed cum personam sæpius nominamus, & dicimus quod Deus persona homo factus sit, uehementer uerendum est, ne hoc dicere uideamur, quod Deus uerbum sola imitatione actionis quæ sunt nostra susceperit, & quicquid illud est conuersationis humanæ quasi adumbratus non quasi uerus homo fecerit. Sicut in theatris fieri solet, ubi unus plures effingit repāte personas, quarum ipse nulla est: Quotiescunque etenim aliqua suscipitur imitatio actionis alienæ, ita aliorum officia aut opera patrantur, ut tñ
Manichæi hi qui agunt non sint ipsi quos agunt. Neque enim ut uerbi gratia secularium & Manichæorum utamur exemplis, cum actor tragicus sacerdotem effingit, aut regem, sacerdos aut rex est: nam desinente actu simul & ea quæ susceperat persona desistunt. Absit hoc à nobis nefarium sceleratùmqꝫ ludibriū, Manichæorum sit ista dementia, qui phātasiæ prędicatores, aiunt filium Dei Deum personam hominis non substantiæ extitisse, sed actu putatiuo quodam & conuersatione simulasse. Catholica uerò fides ita uerbum Dei hominem factum esse dicit, ut quæ nostra sunt, non fallaciter & adumbratè, sed uerè expresseqꝫ susciperet, & quæ erant humana, non quasi aliena imitaretur, sed potius ut sua gereret, & prorsus quod agebat, hoc etiam quem agebat is esset. Sicut ipsi nos quoque in eo quod loquimur, sapimus, uiuimus, subsistimus, non imitamur homines, sed sumus: Neque enim Petrus & Ioannes, ut eos potissimum nominem, imitando erāt homines, sed subsistendo: Neque item Paulus simulabat Apostolum, aut fingebat Paulum, sed erat Apostolus, & subsistebat Paulus. Ita etiam Deus uerbum adsumendo, & habendo carnem, loquendo, faciendo,
patiendo

patiendo per carnem, ſine ulla tñ ſuæ corruptione naturæ hoc omnino præſtare dignatus eſt, ut hominem perfectum non imitaretur, aut fingeret, ſed exhiberet, ut homo uerus non uideretur aut putaretur, ſed eſſet atque ſubſiſteret. Igitur ſicut anima cõnexa, carni, nec in carnem tamẽ uerſa, non imitatur hominem, ſed eſt homo: & homo non per ſimulationem, ſed per ſubſtantiam, ita etiam uerbum Deus abſque ulla ſui conuerſione ueniendo ſe homini nõ confundendo, non imitando factus eſt homo, ſed ſubſiſtendo. Abijciatur ergo tota penitus perſonæ illius intelligentia, quæ fingendo imitatione ſuſcipitur, ubi ſemper aliud eſt, & aliud ſimulatur, ubi ille qui agit nunquam is eſt quem agit. Abſit etenim ut hoc fallaci modo deus uerbum perſonam hominis ſuſcepiſſe credatur, ſed ita potius, ut incõmutabili ſua manente ſubſtantia, & in ſe perfecti hominis ſuſcipiendo naturam, ipſe caro, ipſe homo, ipſe perſona hominis exiſteret, nõ ſimulatoria ſed uera: non imitatiua, ſed ſubſtantiua: nõ deniq; q̃ cũ actione deſiſteret, ſed quæ prorſus in ſubſtantia permaneret. Hæc igitur in Chriſto perſonæ unitas nequaquam poſt uirginis partum, ſed in ipſo uirginis utero compacta atque perfecta eſt: Vehementer etenim præcauere debemus, ut Chriſtum non modo unum, ſed etiam ſemper unum confiteamur: quia intoleranda blaſphemia eſt, ut etiã ſi nunc eũ unum eſſe concedas, aliquando tamen nõ unum, ſed duos fuiſſe contendas, unum ſcilicet poſt tempus baptiſmatis, duos uerò ſub tempore natiuitatis. Quod immenſum ſacrilegium non aliter profectò uitare poterimus, niſi unitum hominem Deo, ſed unitate perſonæ, non aſcenſu uel reſurrectione, uel baptiſmo, ſed iam in matre, iam in utero, iam denique in ipſa

uirginali conceptione fateamur, propter quam personæ unitatem indifferenter ei atque promiscuè & quæ Dei sunt propria tribuuntur homini, & quæ carnis propria adscribuntur Deo. Inde est enim qđ diuinitus scriptũ est: Et filium hominis descendisse de cœlo, & dominum maiestatis crucifixum in terra: Inde & etiã est ut carne domini facta, carne domini creata, ipsum uerbum dei factum, ipsa sapiẽtia dei impleta, scientia creata dicatur, sicut in præscientia manus ipsius & pedes fossi esse referuntur. Per hanc, inquam, personæ unitatem, illud quoque similis mysterij ratione perfectum est, ut carne uerbi ex integra matre nascente, ipse Deus uerbum natus ex uirgine catholicissimè credatur, impijssimè denegetur. Quæ cum ita sint, absit ut quisdam sanctam Mariam diuinæ gratię priuilegijs ut speciali gloria fraudare conetur: Est enim singulari quodam domini ac Dei non filij autem sui munere uerissimè ac beatissimè θεότοκος confitenda. Sed non eo modo θεότοκος quo impia quędam hęresis suspicatur, quę adserit eam Dei matrem sola appellatione dicendam, quæ eum. s. pepererit hominem, qui postea factus est Deus, sicut dicimus præsbyteri matrem, aut episcopi matrem, non iam presbyterum aut episcopum pariendo, sed eum generando hominẽ, qui postea presbyter uel episcopus factus est. Non ita, iquam sancta Maria θεότοκος, sed ideo potius, quoniam ut suprà dictum est, iam in eius sacrato utero sacrosanctum illud mysterium perpetratum est, quod propter singularem quandam atque unicam personæ unitatem, sicut uerbũ in carne caro, ita homo in deo Deus est. Sed iam ea quæ de supra memoratis hæresibus, uel de catholica fide breuiter uícta sunt, renouandæ causa memoriæ breuius strictiusq́

Maria, θεότοκος.

ctiusq́

ctiusq; repetamus, quo, scilicet & intelligantur iterata plenius, & firmius inculcata teneantur. Anathema igitur Photino, non recipienti plenitudinẽ trinitatis, & Christum hoiem tantummodo solitarium p̃dicanti. Anathema Apollinari, adserenti in Xp̃o cõuersę diuinitatis corr uptionẽ, & auferenti pfect æ humanitatis proprietatem. Anathema Nestorio, negan ti ex uirgine Deum natum, adserenti duos Christos, & explosa trinitatis fide quaternitatem nobis introducẽti. Beata uero catholica ecclesia, quæ unũ Deum in trinitatis plenitudine, & item trinitatis æqualitatem in una diuinitate ueneratur, ut neque singularitas substantiæ personarum confundat proprietatem, necq; item trinitatis distinctio unitatẽ separet deitatis. Beata inquam ecclesia, quæ in Christo duas ueras perfectasq; substãtias, sed unã Christi credit esse personam, ut necq; naturarũ distinctio unitatem personæ diuidat, necq; item personæ unitas differentiam confundat substantiarum Beata inquã ecclesia, quæ ut unum semper Christum & esse & fuisse fateatur, unitum hominem Deo non post partum, sed iam in ipso matris utero, confitetur. Beata inquam ecclesia, quæ Deum factum hominem non conuersione naturæ, sed personæ ratione intelligit, personæ autem non simulatoriæ & transeuntis, sed substantiuæ ac permanẽtis. Beata inquam ecclesia, quæ hanc personæ unitatem tantã uim habere prædicat, ut propter eam miro ineffabilicq; mysterio & diuina homini, & Deo adscribat humana: Nam propter eam & hominem de cœlo secundum Deũ descendisse non abnegat, & deum secundum hominẽ credit in terra factum, passum, & crucifixum. Propter eam denicq; & hominem Dei filium, & Deum filium uirginis confitetur. Beata igitur ac uenerãda,

benedicta

benedicta & ſacroſancta, & omnino ſupernæ, illi angelorum laudationi comparanda confeſsio, quę unum dominum Deum trina ſanctificatione glorificat. Idcirco etenim uel maxime unitatē Chriſti prędicat, ne myſterium trinitatem excedat. Hæc in excurſu dicta ſint, alias ſi Deo placuerit, uberius tractanda, explicanda. Nunc ad propoſitū redeamus: Dicebamus ergo in ſuperioribus, quod in eccleſia Dei tentatio eſſet populi error magiſtri, & tāto maior tentatio, quanto ipſe eſſet doctior qui erraret. Quod primum ſcripturæ authoritate, deinde eccleſiaſticis docebamus exemplis, eorum ſcilicet commemoratione, qui cum aliquandiu ſanæ fidei forent habiti, ad extremum tamen aut in alienam decidiſſent ſectam, aut ipſi ſuam hæreſim condidiſſent. Magna profecto res, & ad diſcendum utilis, & ad recolendum neceſſaria, quam etiam atq; etiam exemplorum molibus illuſtrare atq; inculcare debemus, ut omnes fere catholici nouerint ſe cum eccleſia doctores recipere, non cum doctoribus eccleſiæ fidem deſerere debere. Sed ego ita arbitror, ꝙ cum multos in hoc tentandi genere proferre ualeamus, nemo pene ſit, qui Origenis tentationi ualeat comparari, in quo plura adeo præclara, adeo ſingularia, adeo mira extiterunt, ut inter initia habendam cunctis adſertionibus eius fidem quiuis ille facile iudicaret. Nā ſi uita facit authoritatem magna illi induſtria, magna pudicitia, patientia, tolerantia. Si genus uel eruditio quid eo nobilius, qui primum in ea domo natus eſt, quæ eſt illuſtrata martyrio? Deinde pro Chriſto nō ſolum patre, ſed omni quoq; facultate priuatus, tantum inter ſanctæ paupertatis profecit anguſtias, ut pro nomine dominicæ confeſsionis ſępius, ut ferunt, adfligeretur. Neq; uero hęc in illo ſola erant, quę cuncta poſtea

Cum eccleſiæ doctrinæ aſſerenda.

Origenis familia, eruditio.

ēta postea tentationi forent, sed tanta etiam uis ingenij tam profundi tam acris, tam elegantis, ut omnes pene multum longeq́; superarit: tanta doctrinæ ac totius eruditionis magnificentia, ut pauca forent diuinę, pene fortasse nulle humanę philosophię, quę non penitus adsequeretur cuius scientię: Cum Gręci non crederent, Hebręa quoq; elaborata sunt. Eloquentiam uero quid memorem? cuius fuit tam amœna, tam læta, tam dulcis oratio, ut mihi ex ore ipsius non tam uerba, quàm mella quędam fluxisse uideantur. Quę non ille persuasu difficilia disputandi uiribus elimpidauit? Quę factu ardua non ut facillima uiderentur effecit? Sed forsitan argumentorum tantummodo nexibus adsertiones suas texuit. Imo plane nemo unquam magistrorum fuit, qui pluribus diuinę legis uteretur exemplis. Sed credo pauca cō scripsit. Nemo mortalium plura, ut mihi sua omnia non solum perlegisse, sed ne inueniri quidem posse uideantur. Cui ne quicquam ad scientię instrumēta deesset, etiam plenitudo exabundauit ętatis. Sed forsitan discipulis parum felix. Quis unquam felicior? Nēpe innumeri ex sinu suo doctores, innumeri sacerdotes, confessores & martyres extiterunt. Iam uero quanta apud omnes illius admiratio, quāta gloria, quanta gratia fuerit, quis exequi ualeat? Quis nō ad eum paulo religiosior ex ultimis mundi patribus ad uolauit? quis Christianorum non pene ut prophetam? Quis philosophorum non ut magistrum uneratus est? Quam autem non solum priuatę conditioni, sed ipsi quoq; fuerit reuerendus imperio, declarāt historię quę eum à matre Alexandri imperatoris accitum ferunt, cœlestis utique sapientię merito, cuius & ille gratia & amore illa flagrabat. Sed & eiusdē Epistolę testimonium perhibēt, quę ad Philippum

Mammea Origenem ad se aile. xit.

impe-

imperatorem, qui primus Romanorum principum Christianus fuit, Christiani magisterij authoritate conscripsit, de cuius incredibili quadam scientia. si quis referentibus nobis Christianum non accipit testimonium, saltem testificātibus philosophis gentilem recipiat confessionem. Ait nanq; impius ille Porphyrius, excitum se fama ipsius Alexandriā puerum fere perrexisse, ibiq; eum uidisse iam senem, sed plane talem tantumq;, qui arcem totius scientiæ condidisset. Dies me citius defecerit, quam ea quę in illo uiro præclara extiterunt, uel ex minima saltē parte perstringam, quæ tamen omnia non solum ad religionis gloriam, sed etiam ad tentationis magnitudinem pertinebant. Quotus enim quisq; tanti ingenij, tante doctrinę, tantę gratię uirum aut facile deponeret, ac non illa potius uteretur sententia, se cum Origene errare malle, quàm cum alijs uera sentire? Et quid plura? eo res decidit, ut tantę personę, tanti doctoris, tanti prophetę, non humana aliqua, sed ut exitus docuit, nimium periculosa tentatio plurimos a fidei integritate deduceret. Quam ob rem hic idē Origenes tantus ac talis, dum gratia Dei insolētius abutitur, dum ingenio suo nimium indulget, sibiq; satis credit, cum paruipendit antiquam christianę religionis simplicitatem, dum se plus cunctis sapere pręsumit, dum ecclesiasticas traditiones & ueterū magisteria contemnens, quędam scripturarum capitula nouo more interpretatur, meruit ut de se quoq; ecclesię dei diceretur. Si surrexerit in medio tui propheta. Et paulo post: non audies, inquit, uerba, prophetę illius. Et item: Quia, inquit, tentat uos dominus Deus uester, utrum diligatis eum an non. Vere non solum tentatio, sed etiam magna tentatio, dedicatam sibi atq; in se pendentem ecclesiam admiratiōe

Hieronymi hæc fuit uox.

ingenij,

ingenij,scientię,eloquentię,conuersationis & gratię, nihil de se suspicantem,nihil se uerentem, subito a ueteri religione in nouam profanitatem sensim paulatimq; traducere. Sed dicet aliquis, corruptos esse Origenis libros. Non resisto,quin potius & malo: Nam id a quibusdam & traditum,& scriptum est, non catholicis tantum,uerumetiam hæreticis. Sed illud est quod nunc debemus aduertere, & si non ipsum,libros tamen sub nomine suo editos magnæ esse tentationi,qui multis blasphemiarum uulnerib. scatentes,non ut alieni, sed quasi sui & leguntur & amantur:ut & si in errore concipiendo Origenis nõ fuit sensus,ad errorem tamẽ persuadendum Origenis authoritas uidere uideatur. Sed & Tertulliani quoq; eadem ratio est:nam sicut ille apud Græcos, ita hic apud Latinos nostrorũ omnium facile princeps iudicandus est. Quid enim hoc uiro doctius? Quid in diuinis atq; humanis reb9 exercitatius? Nẽpe omnem philosophiam,& cunctas philosophorũ sectas,authores,adsertoresq; sectarũ, omnesq; eorum disciplinas, omnem historiarum ac studiorum uarietatem mira quadam mentis capacitate complexus est:Ingenio uero nonne tam graui ac uehemẽti excelluit,ut nihil sibi pene ad expugnandum proposuerit,quod non aut acumine inruperit, aut pondere eliserit? Iam porro orationis suæ laudes quis exe qui ualeat? quæ tanta,nescio qua rationum necessitate conserta est,ut ad consensum sui, quos suadere non potuerit,impellat: cuius quot pene uerba, tot sententiæ sunt:quot sensus, tot uictoriæ. Sciunt hoc Marciones,Apelles, Praxeę, Hermogenes, Iudęi, Gentiles, Gnostici,cęteriq; quorum ille blasphemias multis ac magnis uoluminum suorum molibus, uelut quibusdam fulminibus euertit. Et tamen hic

Origenis libros corruptos.

Tertulliani eruditio

quoque post hęc omnia, hic inquam Tertullianus catholici dogmatis .i. uniuersalis ac uetustę fidei parũ tenax, ac disertior multo quam felicior, mutata deinceps sententia fecit ad extremum quod de eo beatus confessor Hilarius quodam loco scribit: Sequẽti, inquit, errore detraxit scriptis probabilibus autoritatem. Et fuit ipse quoque in ecclesia magna tentatio. Sed de hoc nolo plura dicere. Hoc tantum commemorabo, quod contra Moysi præceptum exurgentes in ecclesia nouellas Montani furias, & insana illa insanarum mulierũ nouitij dogmatis somnia ueras prophetias adseuerando, meruit ut de se quoque & scripturis suis diceretur: si surrexerit in medio tui propheta. Et mox: Non audies uerba prophetæ illius. Quare? Quia, inquit, tentat uos dominus uester, utrum diligatis eum an non. His igitur tot ac tãtis, cæterisque eiusmodi ecclesiasticorum exemplorum molibus euidenter aduertere, & secũdum Deuteronomij leges luce clarius intelligere debemus, quod si quando aliquis ecclesiasticus magister a fide aberrauerit, ad tentationem id nostram fieri prouidẽtia diuina patiatur, utrum diligamus Deum an non in toto corde, et in tota anima nostra. Quæ cũ ita sint, ille est uerus, & germanus, & catholicus, qui ueritatem Dei, qui ecclesiã, qui Christi corpus diligit, qui diuinæ religioni, qui catholicæ fidei nihil præponit, non hoĩs cuiuspiam autoritatem, non amorem, non ingenium, non eloquentiã, non philosophiã: sed hæc cuncta despiciens, & in fide fixus, stabilis pmanens, quicqd uniuersaliter antiquitus ecclesiam catholicam tenuisse cognouerit, id solum sibi tenendũ credendumque decernit. Quicqd uero ab aliquo deinceps uno præter omnes, uel contra oẽs sanctos nouum & inauditũ sub induci senserit, id nõ ad religionem,

Tertullianus mõta ni somnia probat.

Germanus Christianus quis.

nem, sed ad tentationem potius intelligat ptinere. Tum pcipuè beati apostoli Pauli eruditus eloquijs, hoc est.n.qd in prima ad Corinthios scribit: Oportet, inquit, & hæreses esse, ut probati manifesti fiant in uobis, Ac si diceret: Ob hoc, inqt, hæreseon non statim diuinitus eradicantur autores, ut pbati manifesti fiant.i.unusqsq; quam tenax, & fidelis, & fixus sit catholicæ fidei sit amator appareat. Et reuera cũ queq; nouitas ebullit, statim cernitur frumentorum grauitas, & leuitas paleaꝝ: tunc sine magno molimine excutitur ab area, qd nullo põdere intra areã tenebatur: Nanq; alij ilico prorsus auolant, alij uero tantũmodo excussi, & perire metuunt, & redire erubescũt, saucij, semineces, ac semiuiui: quippe qui tantam ueneni hauserint quãtitatem, quæ nec occidat, nec digeratur: nec mori cogat, nec uiuere sinat. Heu miseranda conditio, quãtis illi curaꝝ æstibus, quantis turbinibus exagitantur? Nunc etenim qua uẽtus impulerit incitato errore rapiuntur: nunc in semetipsos reuersi tanq; contrarij fluctus reliduntur: nunc temeraria præsumptione & ea quæ incerta uidentur, adprobant: nunc irrationali metu ẽt quæ certa sint expauescũt, incerti quà eant, quà redeant, qui adpetant, qd fugiant, quid teneant, qd dimittant. Quæ qdem dubij & malependuli cordis afflictio diuina erga se miserationis est medicina si sapiant. Idcirco etenim extra tutissimum catholicę fidei portum diuersis cogitationum, quatiuntur, uerberant, ac penè necantur pcellis, ut excussa in altum elatę mentis uela deponant, q̃ male nouitatũ uentis expanderant, seseq; intra fidissimã stationem placidę ac bonę matris reducant, et teneãt: atq; amaros illos turbulentosq; erroꝝ, fluctus primitus reuomãt, ut possint deinceps uiuę & salientis aquæ fluenta potare. Dedi-

ſcant bene qđ didicerãt non bene, & ex toto eccleſię dogmate qđ intellectu capi põt, capiant: qđ non põt, credant. Quę cum ita ſint, iterũ atq; iterũ eadẽ mecũ reuoluens et reputãs, mirari ſatis nequeo tantam quorundam hominũ uæſaniam, tantam excæcatę mentis impietatem, tantam poſtremo errandi libidinem, ut cõtenti non ſint, tradita & recepta ſemel antiqtus credendi regula, ſed noua ac noua in diem quęrant, ſemperq; aliqd geſtiant religioni addere, mutare, detrahere: Quaſi non cœleſte dogma ſit, qđ ſemel reuelatum eſſe ſufficiat, ſed terrena inſtitutio, quæ aliter pfici niſi aſſidua emendatione, imò potius reprehenſione non poſſet: cum diuina clamẽt oracula. Ne trãſferas terminos quos poſuerunt patres tui. Et: Sup iudicãtem ne iudices, et ſciudentem ſepem mordebit eum ſerpens. Et illud Apoſtolicũ quo omnes oĩum hęreſeon ſceleratę nouitates, uelut quodam ſpiritali gladio ſępe truncatæ ſempq; truncandę ſunt: O Timothee depoſitum cuſtodi, deuitans pfanas uocum nouitates, & oppoſitiones falſi nominis ſcientię, quam qdam pmittentes circa fidẽ exciderunt. Et poſt hæc inueniuntur aliqui tanta inueteratę frontis duritia, tãta impudẽtiæ incude, tam adamantinę ptinacię, qui tantis eloquioꝝ cœleſtiũ molibus non ſeccumbant, tantis põderibus non fatiſcant, tantis malleis non conquaſſentur, tantis poſtremo fulminibus non conterantur. Deuita, inqt, pfanas uocum nouitates: Nõ dixit antiquitates. nõ dixit uetuſtates, imò planè qd ecõtrario ſequeretur oſtendit: Nam ſi uitanda eſt nouitas, teneda eſt antiquitas: & ſi pfana eſt nouitas, ſacrata eſt uetuſtas. Et oppoſitiones, inqt, falſi nominis ſcientię. Verè falſum nomen apud doctrinas hęreticoꝝ, ut ignorãtia ſcientię, & caligo ſerenitatis, & tenebræ luminis appellatione

pellatione fucentur. Quam qdam, inqt. pmittentes circa fidem exciderũt. Quid pmittentes exciderũt? Nisi nouam nescio quam ignoratamq; doctrinam. Audias etenim quosdam ipsorum dicere: Venite ô insipientes & miseri, q uulgò catholici uocitamini, & discite fidem uerã, quã præter nos nullus intelligit, quę multis ante seculis latuit, nuper uero reuelata & ostensa est, sed discite furtim atq; secretim, delectabit. n. uos. Et item: Cum didiceritis latenter, docete ne mundus audiat, nec ecclesia sciat: paucis nãq; cõcessum est tãti mysterij capere secretum. Nõne hæc uerba sunt illius meretricis, quæ apud Salomonis puerbia uocat ad se ptereuntes uiam, qui dirigũt iter suum. Qui est, inqt, uestrum insipientissimus diuertat ad me. Inopes aũt sensu exhortatur, dicẽs: Panes occultos libẽter attingite, et aquam dulcem furtim bibite. Quid deinde? At ille, inqt, nescit qũo terrigenæ apud eam pereant. Qui sunt isti terrigenę? Exponat Apostolus. Qui circa fidem, inqt, exciderũt Sed operępretium est totum ipsum Apostoli capitulum diligentius ptractare: ô Timothee, inqt, depositum custodi, deuitans pfanas uocum nouitates. O, exclamatio ista et pscientia est pariter et charitatis: Pręuidebat. n. futuros, quos ẽt pdolebat errores. Quis est hodie Timotheus? Nisi uel general'r uniuersa ecclesia, uel special'r totũ corpus Prępositorum, qui integrã diuini cultus scientiã uel habere ipsi debẽt, uel alijs infundere. Quid est depositũ custodi? Custodi, inqt, ppter fures, ppter inimicos, ne dormientibus hominibus superseminent zizania, super illud tritici bonum semẽ, quod seminauerat filius hominis in agro suo. Depositum, inquit, custodi. Quid est depositũ? Id est, quod tibi creditum est, non quod à te inuentum: quod accepisti, non quod excogitasti: rem non

Declarat locus Pauli ad Thimotheum. *1. Thim. 6.*

ingenij, sed doctrinę: non usurpationis priuatæ, sed publicæ traditionis: rem ad te perductam, non à te prolatam: in qua non autor debes esse, sed custos, non institutor, sed sectator: non ducens, sed sequens. Depositum, inquit, custodi catholicæ fidei talentũ inuiolatum, illibatũq; conserua. Quod tibi creditum est, hoc penes te maneat, hoc à te tradatur. Aurum accepisti, aurum redde: nolo mihi pro alijs alia subijcias, nolo pro auro aut impudenter plumbum, aut fraudulenter æramenta supponas: nolo auri speciem, sed naturã planè. O Timothee, ô sacerdos, ô tractator, ô doctor, si te diuinum munus idoneum fecerit, ingenio, exercitatione, doctrina esto spiritalis tabernaculi Beselehel, preciosas diuini dogmatis gemmas exculpe, fideliter coapta, adorna sapiẽter, adijce splendorem, gratiam, uenustatem. Intelligatur te exponente illustrius, quod antea obscurius credebatur. Per te posteritas intellectum gratulẽt, quod ante uetustas non intellectum uenerabatur: eadem tamen quæ didicisti doce, ut cum dicas nouè, nõ dicas noua. Sed forsitan dicit aliquis: Nullus, ne ergo in ecclesia Christi profectus habebitur religionis? Habeatur planè & maximus: Nã qs ille est tã inuidus hominibus, tam exosus Deo, qui istud prohibere conetur? Sed ita tamen, ut uerè profectus sit ille fidei, non permutatio: siquidem ad profectũ pertinet, ut in semetipsa una quæque res amplificetur: Ad permutationem, uerò, ut aliquid ex alio in aliud transuertatur. Crescat igitur oportet, & multum uehementerque proficiat tam singulorum, quã omnium: tam unius hominis, quã totius ecclesię ętatum ac seculorum gradibus intelligentia, scientia, sapientia: sed in suo duntaxat genere, in eodem scilicet dogmate, eodem sensu, eadémque sententia: Imi

tetur

Talentum cuiq; traditum custodiendam.

Exod. 36.

Nouè, non noua dicẽda.

tetur animarum religio rationem corporum, quæ li cet annorum processu numeros suos euoluāt, & explicent, eadem tamen quæ erant permanent. Multum interest inter pueritiæ florem, & senectutis maturitatem: sed ijdem ipsi fiūt senes, qui fuerant adolescentes: ut quamuis unius eiusdémque hominis status habitusq́ mutetur, una tamen nihilominus eademq́ natura, una eademq́ persona sit. Parua Lactentium mēbra, magna iuuenum: eadem ipsa sunt, tamen quot paruulorum artus, tot uirorum: & siquà illa sunt, quæ æui maturioris ætate pariuntur, iam in seminis ratione proferta sunt, ut nihil nouum postea ꝓferatur in senibus, quod non in pueris iam antè latitauerit. Vnde non dubium, est hanc esse legitimā & rectam proficiendi regulam, hunc ratum atque pulcherrimum crescendi ordinem, si eas semper in gradioribus partes ac formas numerus detexat ætatis, quas in paruulis creatoris sapientia præformauerat. Quòd si humana species in aliquā deinceps non sui generis uertatur effigiem, aut certè addatur quippiam membrorū numero, uel detrahāt, necesse est ut totum corpus uel intercidat, uel prodigiosum fiat, uel certè debilitetur: Ita etiam Christianæ religionis dogma, sequatur has decet profectuum leges, ut annis scilicet cōsolidetur, dilatetur, tempore, sublimetur ætate, incorruptum tamen illibatumq́ permaneat. Et uniuersis partium suarum mensuris, cunctisq́ quasi membris ac sensibus proprijs plenum atq́ perfectum sit, quod nihil præterea permutationis admittat, nulla ꝓprietatis dispendia, nullam definitionis sustineat uarietatem. Exempli gratia. Seuerūt maiores nostri antiquitus in hac ecclesiastica segete triticeæ fidei semina, iniquū ualde & incongruum est, ut nos eorum posteri pro

germana ueritate frumenti subdititium zizaniæ eligamus errorem. Quin potius hoc rectum & consequens est, ut in primis atque extremis sibimet non discrepantibus, de incremētis triticeæ institutionis, triticei quoq; dogmatis frugem demetamus: ut cū aliquid ex illis seminū primordijs accessu temporis euoluatur, & nunc lætetur & excolatur: nihil tamē de germinis proprietate mutetur, addatur licet species, forma, distinctio, eadem tamē cuiusq; generis natura permaneat. Absit etenim, ut rosea illa catholici sensus plantaria in carduos spinasq; uertantur. Absit, inquam, ut in isto spiritali paradiso, de cynnamomi, & balsami surculis, loliū repentè, atq; aconita proueniant. Quodcunq; igitur in hac ecclesia Dei agricultura fide patrum satum est, hoc idem filiorum industria decet excolatur, & obseruetur, hoc idem flore ætate maturescat, hoc idē proficiat, & perficiatur. Fas est etenim ut prisca illa cœlestis philosophiæ dogmata processu temporis excurentur, limentur, poliantur. Sed nefas est ut commutentur, nefas ut detruncētur, ut mutilentur. Accipiant licet euidentiam, lucem, distinctionē, sed retineant necesse est plenitudinem, integritatem, proprietatē: Nā si semel admissa fuerit hæc impiæ fraudis licentia, horreo dicerè quantum excindendæ, atq; abolēdæ religionis periculum cōsequatur: Abdicata etenim qualibet parte catholici dogmatis, alia quoque atque itē alia, ac deinceps alia et alia iam quasi ex more & licito abdicabuntur. Porrò autem singulatim partibus repudiatis, quid aliud ad extremum sequetur, nisi ut totum pariter repudiatur? Sed & ecōtrà, si nouitia ueteribus, extranea domesticis, & ppha na sacratis admisceri cœperint, proserpat hic mos in uniuersum necesse, est, ut nihil post hac apud ec

clesiam

clesiam relinquatur intactum, nihil illibatũ, nihil in tegrum, nihil immaculatum, sed sit ibidẽ deinceps impiorum ac turpium errorum lupanar, ubi erat an tea castæ & incorruptæ sacrariũ ueritatis. Sed auer tat hoc à suorum mẽtibus nefas diuina pietas, sitq́ hic potius impiorum furor. Christi uerò ecclesia se dula & cauta depositorum apud se dogmatum cu stos. Nihil in his unq́ permutat, nihil minuit, nihil addit, nõ amputat necessaria, non adponit supflua, non amittit sua, non usurpat aliena, sed omni indu stria hoc unũ studet, ut uetera fideliter sapienterq́ tractando, siqua illa sunt antiquitas informata, & inchoata accurret, & poliat: siqua iam expressa & enucleata, consolidet, firmet: siqua iam confirmata & definita, custodiat. Deniq́ qd unquam aliud con ciliorũ decretis enisa est, nisi ut quod antea simplici ter credebatur, hoc idem postea diligẽtius crederetur? quod antea lentius pdicabatur, hoc idem postea instãtius prędicaretur: quod antea securius coleba tur, hoc idẽ postea solicitius excoleretur. Hoc, inquam, sempęr, neq́ quicquam præterea, hæreticorũ nouitatibus excitata conciliorũ suorum dęcretis ca tholica perfecit ecclesia, nisi ut quod prius à maio ribus sola traditione susceperat, hoc deindę poste ris etiã per scripturæ chirographum cõsignaret: ma gnam rerum summam paucis literis comprehẽden do, & plerunq́ ppter intelligentiæ lucem, non no uum fidei sensum nouæ appellationis pprietate si gnando. Sed ad Apostolum redeamus: O Thimo thee, inquit, depositum custodi, deuitans pphanas uocum nouitates. Deuita, inquit, quasi uiperã, quasi scorpionem, quasi basiliscum, ne te nõ solum tactu, sed etiam uisu afflatuq́ percutiant. Quid est deuita re? Cum huiusmodi nec cibum sumere. Quid est de-

Ecclesiæ officium

Timo. 6.

uita? Siquis, inquit, uenit ad uos, & hanc doctrinam non adfert. Quam doctrinã, nisi catholicam, & uniuersalem? & unam eademq; per singulas ætatũ successiones ĩcorrupta ueritatis traditione manentem, & usq; in secula sine fine mãsuram? Quid tum? Nolite, inqt, recipere eum in domũ, nec aue ei dixeritis: qui.n. dicit illi aue, cõicat operibus eius malignis.

Prophanas nouitates. Prophanas, inqt, uocum nouitates. Quid est prophanas? Quæ nihil habent sacri, nihil religiosi, ab ecclesiæ penetralibus, quæ est templũ Dei, penitus extraneas: Prophanas, inqt, uocũ nouitates: Vocũ, id est, dogmatum, rerum, sententiarũ nouitates, quę sunt uetustati, quæ antiquitati contrariæ. Quæ si recipiantur, necesse est ut fides Beatorũ patrum, aut tota, aut certè magna ex parte uiolẽtur: Necesse est ut omnes omniũ ætatum fideles, omnes sancti, oẽs casti, cõtinentes uirgines, omnes clerici, læuitæ & sacerdotes, tanta confessorũ millia, tanti martyrũ exercitus, tanta urbiũ, tanta populorũ celebritas & multitudo, tot insulæ, ꝓuinciæ, reges, gentes, regna, nationes, totus postremò iam penè terrarũ orbis, per catholicam fidem Christo capiti incorporatus, tanto seculorũ tractu ignorasse, errasse, blasphemasse, nescisse quid crederet, ꝓnuncietur: Prophanas, inqt, uocum nouitates deuita. Quas recipere atq; sectari nunquam catholicorũ, semper uerò hæreticorum fuit. Et reuera, quæ unquã hæresis, nisi sub certo nomine, certo loco, certo tpe ebulliuit? Quis unquam hæreses instituit, nisi qui se prius ab ecclesiæ catholicæ uniuersitatis & antiquitatis consensione discreuerit? Qđ ita esse luce clarius exempla demonstrãt.

Pelagius Quis enim unquam ante ꝓphanum illum Pelagium tantam uirtutem liberi præsumpsit arbitrij, ut ad hoc in bonis rebus per actus singulos ad iuuandum

dum necessariam Dei gratiam non putaret? Quis ante ꝓdigiosum discipulum eius Celestium, reatu praeuaricationis Adae omne humanum genus dene gauit adstrictum? Quis ante sacrilegum Ariũ, trinitatis unitatem discindere? q̃s ante sceleratum Sabel lium, unitatis trinitatẽ confundere ausus est? Quis ante crudelissimum Nouatianum, crudelem Deum dixit, eò q̃ mallet mortem moriẽtis, quàm ut reuer tatur et uiuat? Quis ante magum Simonem, Apostolica districtione ꝑcussum, à quo uetus ille turpitudinum gurges usq; in nouissimum Priscillianum continua & occulta successione manauit, autorem malorum, id est, scelerum, impietatum, flagitiorumq́; nostroꝶ ausus est dicere creatorem Deum? Quippè quem adserit talem hominum manibus ipsum suis creare naturam, quae ꝓprio quodam motu, & necessariae cuiusdam uoluntatis impulsu nihil aliud possit, nihil aliud uelit nisi peccare, eò q̃ furijs uitiorum omnium exagitata & inflãmata, in omnia turpitudinũ barathra inexhausta cupiditate rapiatur. Innumera sunt talia, quę breuitatis studio prętermittimus, q̃bus tamen cũctis satis euidenter ꝑspicueq́; monstratur, hoc apud oẽs ferè haereses quasi solenne esse ac legitimum, ut semꝑ ꝓphanis nouitatibus gaudeant, antiquitatis scita fastidiant, & per oppositiones falsi nominis sciẽtiae à fide naufragent. Contrà uerò catholicorum hoc ferè proprium, deposita sanctorum patrum & commissa seruare, damnare prophanas nouitates, & sicut dixit, atque iterũ prę dixit Apostolus: Siquis adnuntiauerit prętquam quod acceptum, est anathemate.

Celestius
Sabellius.
Nouatianus.
Simon magus.
Priscillianus.

Hic fortasse aliquis interroget, an & haeretici diuinae scripturae testimonijs utantur. Vtũtur plane et uehementer q̃dem, nam uideas eos uolare ꝑ singula quaeque

Quo pacto haeretici scripturis utantur.

la quæque sanctę legis uolumina, per Moysi, per Regnorũ libros, per Psalmos, per Apostolos, per Euãgelia, per Prophetas. Siue enim apud suos, siue alienos, siue priuatim, siue publice: siue in sermonibus, siue in libris, siue in conuiuijs, siue in plateis, nihil unquam pene de suo proferunt, quod non etiã scripturæ uerbis adumbrare conentur. Lege Pauli Samosateni opuscula, Priscilliani, Eunomij, Iouiniani, relinquarũque pestiũ, cernas infinitam exemplorũ congeriem, prope nullã omitti paginam, quæ non noui aut ueteris testamenti sententijs fucata & colorata sit: Sed tãto magis cauendi & pertimescendi sunt, quanto occultius sub diuinæ legis umbraculis latitant. Sciũt enim fœtores suos nulli fere cito eẽ placituros, si nudi & simplices exhalentur, atque idcirco eos cœlestis eloquij, uelut quodam aromate aspergunt, ut ille qui humanum facile despiceret errorem, diuina non facile cõtemnat oracula. Itaque faciunt quod hi solent, qui paruulis austera quædam temperaturi pocula, prius ora melle circumlinunt, ut incauta ætas cũ dulcedinem præsenserit, amaritudinẽ nõ reformidet. Quod etiam his curæ est, qui mala gramina & noxios succos medicaminũ uocabulis præcolorant, ut nemo fere ubi suprascriptum legerit remedium, suspicetur uenenum. Idem denique & Saluator clamabat; Attendite uobis a Pseudoprophetis, qui ueniũt ad uos in uestitu ouium, ab intus autem sunt lupi rapaces. Quid est uestitus ouium? nisi prophetarum & Apostolorum proloquia, quę ijdem ouili quadam synceritate agno illi immaculato, qui tollit peccatũ mundi, tanquam uellera quædam texuerunt? Qui sunt lupi rapaces, nisi sensus hæreticorum feri & rabidi? qui caulas ecclesiæ semper infestant, & gregẽ Christi quaqua possunt dilacerãt. Sed ut fallacius incautis oui-

Recte ergo dictum est pyxides habere pharmaca, pharmaca uero uenena.

tis ouibus obrepant, manente luporum ferocia deponunt lupinam ſpeciem,& ſeſe diuinæ legis ſenten tĳs,uelut quibuſdam uelleribus obuoluunt, ut cum quiſꝗ lanarum molliciem præſenſerit, nequaquam aculeos dentium pertimeſcat. Sed quid ait Saluator? Ex fructibus eorum cognoſcetis eos. Id eſt,cum cœperint diuinas illas uoces non iam proferre tantum,ſed etiam exponere,nec adhuc iactare ſolũ, ſed etiam interpretari:tunc amaritudo illa,tunc acerbitas,tunc rabies intelligitur, tũc nouitium uirus exhalabitur,tunc prophanæ nouitates aperiuntur, tunc primum ſcindi ſepem uideas,tunc transferri patrum terminos,tunc catholicam fidem cædi, tunc eccleſiaſticum dogma lacerari. Tales erant hi,quos percutit apoſtolus Paulus in ſecunda ad Corint.dicẽs: Nam eiuſmodi,inquit,pſeudo apoſtoli,operarĳ ſub doli,transfigurant ſe in apoſtolos Chriſti. Quid eſt transfigurantes ſe in apl'os Chriſti? Proferebãt apl'i diuinę legis exampla,proferebant et illi: Proferebãt Apoſtoli Pſalmorũ authoritates,proferebant & illi: proferebant: Apoſtoli ſententias prophetarũ, & illi nihilominus proferebant. Sed cum ea quę ſimiliter protulerant,interpretari non ſimiliter cœpiſſent, tunc ſimplices a ſubdolis,tunc infucati a fucatis,tũc recti a peruerſis,tunc poſtremo ueri apoſtoli a falſis apoſtolis diſcernebantur. Et non mirum inquit, ipſe enim ſatanas transfigurat ſe in angelum lucis. Non eſt ergo magnum,ſi miniſtri eius transfigurantur ſicut miniſtri iuſtitiæ: ergo ſecundum apoſtoli Pauli magiſterium, quotieſcunꝗ uel pſeudoapoſtoli,uel pſeudoprophetæ, uel pſeudo doctores diuinæ legis ſententias proferunt, quibus male interpretatis errores ſuos adſtruere conentur,non dubium eſt,quin authoris ſui callida machinamenta ſectentur: quæ

Ex fructibus cognoſcere.

2.Cor.11.

ille

Ille nunquam profecto cōmiſceretur, niſi ſciret omnino nullam eſſe ad fallēdum faciliorem uiam, q̃ ut ubi nefarij erroris ſubinducitur fraudulentia, ibi diuinorum uerborum prætēdatur authoritas. Sed dicet aliquis. Vnde probatur quod ſacræ legis exemplis diabolus uti ſoleat? Legat Euangelia, in quibus ſcribitur: Tunc adſumpſit illum diabolus, id eſt, dominum ſaluatorē: & ſtatuit illū ſupra pinnā templi, & dixit ei, Si filius Dei es, mitte te deorſum, ſcriptū eſt enim: qđ angelis ſuis mandauit de te, ut cuſtodiant te in omnibus uijs tuis: In manibus tollent te, ne forte offendas ad lapidē pedem tuum. Quid hic faciet miſellis hominibus, qui ipſum dominum maieſtatis ſcripturarum teſtimonijs adpetiuit? Si inquit, filius Dei es, mitte te deorſum. Quare ſcriptum eſt enim inquit? magnopere nobis doctrina loci iſtius attendenda atq; retinenda eſt, ut tanto euangelicæ authoritatis exemplo, quando aliquos apoſtolica, ſeu prophetica uerba proferre contra catholicam fidem uiderimus, diabolū per eos loqui minime dubitemus: Nam ſicut tunc caput capiti, ita nunc quoq; membra membris loquuntur: membra ſcilicet diaboli membris Chriſti: perfidi, fidelibus, ſacrilegi, religioſis, hæretici poſtremo catholicis. Sed quid tandē dicit? Si inquit, filius Dei es, mitte te deorſum. Hoc eſt, filius eſſe uis Dei, & hæreditatem regni cœleſtis accipere, mitte te deorſum, id eſt, ex iſtius te ſublimis eccleſiæ, quæ etiam templum Dei putatur, doctrina & traditione demitte. Ac ſiquis interroget quēpiā hæreticorum ſibi talia perſuadentem, unde probas? unde doces, quod eccleſiæ catholicæ uniuerſalē & antiquam fidem dimittere debeam? Statim ille: Scriptum eſt enim. Et continuo mille teſtimonia, mille exempla, mille athoritates parat, de Lege, de Pſalmis,

Fallēdi uia facillima.

Matth. 4.

mis, de Apostolis, de Prophetis, qbus nouo & malo more interpretatis ex arce catholica in hæreseos barathrum infelix anima præcipitetur.

Iam uero illis quæ sequuntur promissionibus miro modo incautos homines hæretici decipere cõsueruntt: Audent etenim polliceri, & docere, quod ecclesia sua, id est, in communionis suæ conuenticulo magna & specialis ac plane personalis quædam sit Dei gratia, adeo ut sine ullo labore, sine ullo studio, sine ulla industria, etiãsi nec petãt, nec q̃rãt, nec pulsent, qcũq; illi ad numerũ suũ ptinẽt: tamẽ ita diuinitus dispẽsetur, ut angelicis euecti manibus, id est, angelica protectione seruati, nunquã possint offendere ad lapidem pedẽ suũ, id est, nunquam scandalizari. *Offendere pedem ad lapidem.*

Sed dicit aliquis, si diuinis eloquijs, sententijs, promissionibus, & diabolus & discipuli eius utuntur, quorum alij sunt pseudo apostoli, alij pseudo pphetæ, & pseudomagistri & omnes ex toto hæretici, qd facient catholici homines, & matris ecclesiæ filij? quonam modo in scripturis sanctis ueritatem a falsitate discernent? Hoc scilicet facere magnopere curabunt, quod in principio Commonitorij istius sanctos & doctos uiros tradidisse nobis scripsimus, ut diuinum canonẽ secundũ uniuersalis ecclesiæ traditiones, & iuxta catholici dogmatis regulas interpretentur, in qua item catholicæ apostolicæq; ecclesiæ sequantur necesse est uniuersitatem antiquitatẽ, consensionẽ. Et si quando pars contra uniuersitatem, nouitas contra uetustatẽ, unius uel paucorũ errantium dissensio contra omnium uel certe multo pluriũ catholicorum consensionem rebellauerit, præfer potiores, corruptioni uniuersitatis integritatem: in qua eadem uniuersitate nouitatis profanitati, antiquitatis religionem: Itemq; in ipsa uetustate unius siue pau-

cissi-

cisſimorum temeritati primum omnium generalia ſunt,ſiqua ſunt uniuerſalis Concilij decreta præponant,tunc deinde ſi id minus eſt,ſequātur quod proximum eſt,multorum atq; magnorum cōſentientes ſibi ſententias magiſtrorum, quibus adiuuante domino fideliter,ſobrie,ſolicite obſeruatis,non magna difficultate noxios quoſq; exurgentium hęreticorū deprehendemus errores. Hic iam conſequens eſſe uideo,ut exemplis demonſtrem,quonam modo profanæ hæreticorum nouitates, prolatis atq; collatis ueterum magiſtrorū concordantibus ſibimet ſentētijs,& deprehendantur & condemnentur,quę tamē antiqua ſanctorū patrum conſenſio, nō in omnibus diuinæ legis quæſtiunculis, ſed ſolū certe præcipue in fidei regula magno nobis ſtudio & inueſtigenda eſt,& ſequenda. Sed neq; ſemper,neq; omnes hęreſes hoc modo impugnandæ ſunt,ſed nouitiæ recentesq; tantummodo,cū primum ſcilicet exoriuntur, antequā infalſarint uetuſtæ fidei regulas, ipſius temporis uetentur anguſtijs, ac priuſquam manante latius ueneno maiorum uolumina uitiare conentur. Cæterum dilatatæ & inueteratæ hæreſes nequaquā hac uia adgrediendæ ſunt, eo quod prolixo temporum tractu longa his furandæ ueritatis patuerit occaſio. Atq; ideo quaſcūq; illas antiquiores,uel ſchiſmatum uel hæreſeon profanitatis, nullo modo nos oportet,niſi aut ſola ſi opus eſt,ſcripturarum authoritate conuincere,aut certe iam antiquitus uniuerſalibus ſacerdotum catholicorum Concilijs conuictas damnataſq; uitare.

Quomodo deprehenduntur hæreſes.

Itaq; cum primum mali cuiuſq; erroris putredo erumpere cœperit, & ad defenſionem ſui quædam ſacræ legis uerba furari,eaq; fallaciter & fraudulenter exponere,ſtatim interpretando canoni maiorum

ſentęn-

ſententiæ congregandę ſunt, quibus illud quodcũq; exurget nouitiũ, ideoq; profanũ, & abſq; ulla amba ge pro datur, & ſine ulla retractatione damnetur. Sed eorum duntaxat patrum ſententiæ conferendæ ſunt, qui in fide & communione catholica ſancte, ſa pienter, conſtanter uiuentes, docentes & permanen tes, uel mori in Chriſto fideliter, uel occidi ꝑ Chri- ſto feliciter meruerunt. Quibus tamen hac lege cre- dendum eſt, ut quicquid uel omnes uel plures uno eodemq; ſenſu manifeſte, frequenter, perſeueranter, uelut quodam conſentiente ſibi magiſtrorum Con cilio, accipiendo, tenendo, tradendo firmauerint, id pro indubitato, certo ratoq; habeatur: Quicquid ue ro, quãuis ille ſanctus & doctus, quãuis Epiſcopus, quanuis confeſſor & martyr, præter omnes, aut etiã contra omnes ſenſerit, id inter proprias & occultas & priuatas opiniunculas a communis & publicæ, generalis ſententiæ autoritate ſecretum ſit, nec cum ſummo æternæ ſalutis periculo, iuxta ſacrilegam hę reticorum & ſchiſmaticorum conſuetudinem uni- uerſalis dogmatis antiqua ueritate dimiſſa, unius ho minis nouitium ſectemur errorem: quorum beatorũ patrum ſanctum catholicumq; conſenſum, nequis ſibi temere contemnendum forte arbitretur, ait in prima ad Corinthios Apoſtolus: Et quoſdã qdem poſuit Deus in eccleſia, primum Apoſtolos. Quorũ ipſe unus erat: Secundo Prophetas: qualem in Acti- bus Apoſtolorum legimus Agabum: Tertio docto res, qui tractatores nũc appellantur, quos hic idem Apoſtolus etiam Prophetas interdum nũcupat, eò quod per eos Prophetarum myſteria populis ape- riantur. Hos ergo in eccleſia Dei diuinitus per tem- pora & loca diſpenſatos, quiſquis in ſenſu catholi- ci dogmatis unum aliquid in Chriſto ſentiẽtes, con

Tractato- res.

tempſe-

tempſerit,non hoīem contemnit,ſed Deum, a quorum ueridica unitate nequis diſcrepet,impēſius obteſtatur idem Apoſtolus dicēs: Obſecro autem uos Fratres,ut idipſum dicatis omnes, & non ſint in uobis ſchiſmata, ſitis autem perfecti in eodem ſenſu, & in eadem ſentētia. Quod ſiquis ab eorum ſententiæ communione deſciuerit,audiet illud eiuſdē Apoſtoli: Non eſt Deus diſſenſionis,ſed pacis. Id eſt,nō eius,qui a conſentiendi unitate defecerit,ſed eorum qui in conſentiendi pace permanſerint: Sicut in omnibus inquit, eccleſijs ſanctorum doceo, id eſt, catholicorum,quæ ideo ſanctę ſunt,quia in fidei communione perſiſtunt.

Et ne quis forſitan prætermiſsis cæteris,ſe ſolum audiri,ſibi ſoli credi arrogaret,pauló poſt ait: An á uobis inquit,uerbum dei proceſsit, aut in uos ſolos deuenit? Et ne hoc quaſi perſunctione acciperetur, adiecit: Siquis,inquit, uidetur Propheta eſſe aut ſpiritalis,cognoſcat quæ ſcribo uobis,qa domini ſunt mandata,quæ utiq; mandata, niſi, ut ſiquis eſt Propheta, aut ſpiritalis,id eſt,ſpiritalium rerum magiſter,ſummo ſtudio ęqualitatis & unitatis cultor exiſtat, ut ſcilicet neque opiniones ſuas cæteris præferat,& ab uniuerſorum ſenſibus non recedat: Cuius rei mādata qui ignorat,inquit, ignorabitur, id eſt, qui aut neſcita non diſcit,aut ſcita contemnit ,ignorabitur,hoc eſt,indignus habebitur qui inter unitos fide,& exęquatos humilitate diuinit⁹ reſpiciatᵎ: quo malo neſcio an quicquam acerbius cogitari queat.

Quod tamen iuxta Apoſtolicam comminationē *Iulianus Pelagian⁹* Pelagiano illi prouenifſe cernimus Iuliano, q ſe collegarum ſenſui aut incorporare neglexit, aut excorporare præſumpſit. Sed iam tempus eſt ut pollicitum proferamus exemplum, ubi, & quomodo ſanctorum

ctorum patrum sententiæ congregatæ sint, ut secundum eas ex decreto atque autoritate concilij, ecclesiasticę fidei regula figeretur. Quod quo cõmodius fiat hic sit iam huius Commonitorij modus, ut cætera quæ sequuntur ab alio sumamus exordio. Secũdum Commonitoriũ interlapsum est, neque ex eo amplius quicquam, quàm postrema particula remansit, id est, sola recapitulatio, quæ & subiecta est. Quæ cum ita sint, iam tẽpus est ut ea quæ duobus his Commonitorijs dicta sunt, in huius secundi fine recapitulemus.

Diximus in superioribus hanc fuisse semper & esse hodieq́ catholicorum cõsuetudinem ut fidẽ uerã duobus his modis adprobent. Primum diuini canonis autoritate: deinde ecclesiæ catholicæ traditione non quia canon solus non sibi ad uniuersa sufficiat, sed quia uerba diuina pro suo plerique arbitratu interpretantes, uarias opiniones erroresq́ concipiãt. Atque ideo necesse sit, ut ad unam ecclesiastici sensus regulam scripturæ cœlestis intelligentia dirigatur: in his duntaxat præcipue quæstionibus, quibus totius catholici dogmatis fundamenta nituntur. Itẽ diximus, in ipsa rursus ecclesia uniuersitatis pariter & antiquitatis consensionem spectari oportere, ne aut ab unitatis integritate in partem schismatis abrũpamur, aut è uetustatis religione in hæreseon nouitates præcipitemur. Item diximus, in ipsa ecclesiæ uetustate duo quędã uehementer studioseq́ obseruanda, quibus penitus inhærere deberent quicũque hæretici esse nolint: primum siquid esset antiquitus ab omnibus ecclesię catholicę sacerdotibus uniuersalis Concilij autoritate decretum. Deinde si qua noua exurgeret quæstio, ubi id minime reperiretur, recurrendum ad sanctorum patrum senten-

tias,eorum duntaxat,qui suis quique tẽporibus & locis in unitate communionis & fidei permanẽtes, magistri probabiles extitissent. Et quicqd uno sensu atque consensu tenuisse inuenirentur, id ecclesiæ uerũ,& catholicum absque ullo scrupulo iudicaretur. Quod ne præsumptione magis nostra quàm au toritate ecclesiastica promere uideremur,exemplũ
Cõcilium Ephesinũ. adhibuimus sancti Concilij, quod ante triennium fermè in Asia apud Ephesum celebratum est, uiris clarissimis Basso Antiochoq; Consulibus, Vbi cũ de sanciendis fidei regulis disceptaretur, ne qua illic forsitan profana nouitas in modum perfidiæ Arimi nensis obreperet, uniuersis sacerdotibus, qui illò ducenti ferè numero conuenerant, hoc catholicissimũ,fidelissimum atque optimum factu uisum est, ut in medium sanctorum patrum sententiæ proferẽtur,quorum alios martyres,alios Confessores, om nes uero catholicos sacerdotes fuisse, & permansisse constaret: ut scilicet rite atque solenniter ex eorũ cõsensu atque decreto antiqui dogmatis religio cõfirmaretur, & profanæ nouitatis blasphemia condemnaretur. Quod cum ita factum foret, iure meritoq; impius ille Nestorius,catholicæ uetustati, con trarius,beatus uero Cyrillus sacrosanctæ antiquitati consentaneus iudicatus est. Et ut ad fidem rerum nihil deesset,etiam nomina & numerum,licet ordinem fuissemus obliti, edidimus eorum patrum, iux ta quorum ordinem ibidem concinentem sibi concordemq; sñiam,& legis sacræ proloquia exposita sũt,et diuini dogmatis regula cõstabilita est: Quos ad confirmandam memoriã hic quoq; recensere ne quaquã superfluum est. Sunt ergo hi uiri,quorum in
Petrus alexandrinus illo Concilio,uel tanquã iudicũ, uel tãquam testiũ scripta recitata sunt. Sanctus Petrus Alexandrinus

Episcopus,

Episcopus, doctor pstantissimus & martyr beatissimus. Sãctus Athanasius eiusdem ciuitatis antistes, magister fidelissimus & confessor eminentissimus: Sãctus Theophilus eiusdem item urbis Episcopus, uir fide, uita, scientia satis clarus: cui successit uenerandus Cyrillus, qui nunc Alexandrinam illustrat ecclesiam. Et ne forsitan unius ciuitatis ac prouinciç doctrinæ hęc putaretur adhibita, sunt etiam illa Cappadociç lumina, sanctus Gregorius Episcopus & confessor, de Nazãdo, uel Nazanzo: Sãctus Basilius Cæsareæ Cappadociæ Episcopus & Confessor: Sanctus item alter Gregorius Nyssenus Eps, fidei cõuersationis, integritatis & sapiẽtię merito frẽ Basilio dignissimus. Sed ne sola gratia aut oriens tã tum, uerum etiam occidentalis & latinus orbis ita semper sensisse adprobaretur, lectę sunt quoque ibi quædam ad quosdam Epistolæ, sancti Felicis martyris, & S. Iulij urbis Romæ episcoporum. Et ut nõ solum caput orbis, uerum etiam latera illi iudicio testimonium perhiberent, adhibitus est à meridie, beatissimus Cyprianus episcopus Carthaginẽsi & martyr. A septẽtrione sanctus Ambrosius Mediolanensis episcopus. Hi sunt igitur omnes apud Ephesum sacrato decalogi numero magistri, consiliarij, testes iudicesq́; producti, quorum beata illa Synodus doctrinam tenens, consilium sequens, credens testimonio, obediens iudicio, absque tædio, præsumptione, & gratia de fidei regulis pronunciauit. Quanquam multo amplior maiorum numerus adhiberi potuerit, sed necesse nõ fuit: quia neque multitudine testium negotij tempora occupari oporte bat, & decem illos non aliud ferè sensisse, quàm cæteros omnes collegas suos nemo dubitabat.

Athanasi9 | Theophil9 | Cyrillus. | Gregorius | Basilius. | Cæsariẽsis | Felix. | Iulius. | Cyprianus | Ambrosi9.

Post quæ omnia adiecimus etiã beatam Cyrilli

sententiam, quæ gestis ipsis ecclesiasticis cōtinetur

Capreolus Nanque cum lecta esset sancti Capreoli Episcopi Carthaginensis epistola, qui nihil aliud intendebat, & precabatur, nisi ut expugnata nouitate, antiquitas defenderetur, ita Episcopus Cyrillus prolocutus est, & definiuit: quod hic quoque int erponere non ab re uidetur: ait enim in fine gestorum: Et hæc, inquit, quæ lecta est epistola, uenerandi & multi religiosi Episcopi Carthaginensis Capreoli fidei gestorum inseretur, cuius aperta sentētia est: uult enim antiquæ fidei dogmata confirmari, nouitia uero & superfluæ adinuenta, & impie promulgata reprobari atque damnari: Omnes Episcopi adclamauerunt, hæc omnium uoces sunt, hæc omnes dicimus, hoc omnium uotum est. Quæ tandem omnium uoces, atque omnium uota, nisi ut quod erat antiquitus traditum teneretur? quod adinuentum nuper, exploderetur? Post quæ admirati sumus & prædicauimus quanta Concilij illius fuerit humilitas & sanctitas, & tot numero sacerdotes, pene ex maiore parte Metropolitani, tantæ eruditionis, tantæq; doctrinæ, ut prope omnes possint de dogmatibus disputare: Quibus propterea ipsa in unum congregatio audendi a se aliquid & statuendi addere uideretur fiduciam, nihil tamen nouarent, nihil præsumerent, nihil sibi penitus arrogarent, sed omnimodis præcauerent, ne aliquid posteris traderent, quod ipsi a patribus non accepissent. Et non solum in præsenti rem bene disponerent, uerum etiam post futuris exempla præberent, ut & ipsi scilicet sacratæ uetustatis dogmata colerent: prophanæ uero nouitatis adinuenta damnarent. Inuecti sumus etiam in Nestorij sceleratam præsumptionem, quod sacram scripturam se primum & solum

intelligere

intelligere, & omnes eos ignorasse iactaret, quicunque ante se magisterij munere præditi diuina eloquia tractauissent: uniuersos scilicet sacerdotes, uniuersos confessores & martyres, quorum alij explanassent Dei legem, Alij uerò explanantibus consensissent, uel credidissent. Totam postremò etiam nũc errare, & semper errasse adseueraret ecclesiam, quę, ut ipsi uidebatur, ignaros, erroneosq́ doctores & sequuta esset, & sequeretur.

Quæ omnia licet cumulate abundeq́ sufficerent ad prophanas quasq; nouitates obruendas & extinguendas, tamen nequid deesse tantæ plenitudini uideretur, ad extremũ adiecimus geminam Apostolicæ sedis authoritatẽ, unam scilicet sancti Papę Sixti, *Sixtus.* qui nunc Romanam ecclesiã uenerandus illustrat: alteram decessoris sui beatæ memoriæ papæ Celestini, quam hic quoq; interponere necessariũ iudicauimus. Ait itaq;. S. papa Sixtus in epistola, quã de causa Nestorij Antiocheno misit episcopo: Ergo, inqt, quia sicut ait Apostolus. Fides una est, quæ euidenter obtinuit dicenda, credamus, & tenenda credamus. Tandem illa credenda & dicenda prosequitur, & ait: Nihil ultra, inquit, liceat nouitati, quia nihil addi conuenit uetustati, Perspicua maiorũ fides & credulitas nulla cœni permistione turbetur. Omnino apostolice, ut maiorum credulitatem perspicuitatis lumine ornaret, nouitias uero prophanitates cœni permistione describeret. Sed & S. Papa Celestinus, *Celestinus* pari modo eademq́ sentẽtia: Ait enim in Epistolam quam Gallorum sacerdotibus misit, arguẽs eorum conniuentiam, quòd antiquam fidem silẽtio destituentes, profanas nouitates exurgere paterentur: Merito, inquit, causa nos respicit, si silẽtio foueamus errorem. Ergo corripiantur huiusmodi non sit his li- *Liberum non sit omnia loqui.*

his liberum habere pro uoluntate sermonem.

Huic aliquis fortasse addubitet, qui nam sint illi, quos, habere prohibeat liberum pro uoluntate sermonem, uetustatis prædicatores, an nouitatis adinuentores. Ipse dicat, & dubitationem legentiũ ipse dissoluat: Sequitur enim: Desinat, inquit, si ita res est id est, si ita est, ut apud me qdã urbes & prouincias uestras criminantur, quòd eas quibusdam nouitatibus consentire noxia dissimulatione faciatis: Desinat itaq;, inquit, si ita res est, incessere nouitas uetustatem. Ergo hæc fuit b. Celestini b. sententia, nõ ut uetustas cessaret obruere nouitatem, sed potius nouitas desineret incessere uetustatem. Quibus apostolicis catholicisq; decretis quisquis refragatur, insultet primum omnium necesse est memoriæ S. Celestini, qui statuit ut desineret incessere nouitas uetustatem deinde irrideat definita S. Xisti, qui cẽsuit ne ultra quicquam liceat nouitati, quia nihil addi conuenit uetustati: Sed & b. Cyrilli statuta contemnat, qui uenerandi Capreoli zelum magna prædicatione laudauit, quòd antiqua fidei dogmata confirmari cuperet: nouitia uero adinuenta damnari. Ephesinam quoq; synodũ, id est, totius pene Orientis sanctorum Episcoporũ iudicata proculcet, quibus diuinitus placuit, nihil aliud posteris credendũ decernere, nisi quòd sacrata sibiq; in Christo cõsentiens sanctorum patrum tenuisset antiquitas, quiq; etiam uociferantes & acclamantes, uno ore testificati sunt, has esse omnium uoces, hoc omnes optare, hoc omnes censere: ut sicut uniuersi fere ante Nestorium hæretici contemnentes uetustatem, & adserentes nouitatem damnati forent, ita ipse quoq; Nestorius author nouitatis, & impugnator uetustatis condemnaretur. Quorum sacrosancta & cœlestis gratiæ munere

nere inſpirata conſenſio cui diſplicet, quid aliud ſequitur, niſi ut profanitatem Neſtorij adſerat nõ iure damnatam? Ad extremũ quoq; uniuerſam Chriſti Eccleſiam, & magiſtros eius Apoſtolos & Prophetas, præcipue quæ tamen b. Apoſto. Paulum, uelut quædam purgamenta contemnat: illam, quòd a religione colendæ & excolendæ ſemel ſibi traditæ fidei nunquam receſſerit: illum uero, qui ſcripſerit: O Timothee depoſitum cuſtodi, deuitans profanas uocũ nouitates. Et item: Siquis uobis adnunciauerit præterquã quod accepiſtis, anathema ſit. Quòd ſi neq; Apoſtolica definita, neq; Eccleſiaſtica decreta temeranda ſunt, quibus ſecundum ſacroſanctam uniuerſitatis & antiquitatis conſenſionem cũcti ſemper hæretici, & ad extremũ Pelagius, Celeſtius, Neſtorius iure meritoq; damnati ſunt, neceſſe eſt profecto omnibus deinceps catholicis, qui ſeſe Eccleſiæ matris legitimos filios probare ſtudent, ut ſanctæ ſanctorũ patrum fidei inhæreant, adglutinent, immoriantur: profanas uero profanorũ nouitates deteſtentur, horreſcant, inſectentur, perſequantur.

Hæc ſunt fere quę duobus Commonitorijs latius diſſerta, aliquanto nunc breuius recapitulandi lege conſtricta ſunt, ut memoria mea, cui adminiculandę iſta confecimus, & commonendi aſſiduitate reparetur, & prolixitatis faſtidio non obruatur.

VINCENTII LIRInenſis Galli, *finis.*